IOANNIS PICARDI TOVTRERIANI

De Prisca Celtopædia,

LIBRI QVINQVE.

Quibus admiranda priscorum Gallorum doctrina & eruditio ostenditur, necnon literas prius in Gallia fuisse, quàm vel in Græcia vel in Italia: simúlque Græcos nedum Latinos scientiam à priscis Gallis (quos vel ab ipso Noachi tempore Græcè philosophatos constat) habuisse,

AD

HVMBERTVM A PLATIERA

Campaniæ Proregem & Alexiæ præfectum.



PARISIIS.

Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina, ad Veritatis insigne.

1556.

Ex priuilegio Regis.

HVMBERTO A PLATIERA EQVITI TORQVATO, CAMPANIÆ Gallicæ Proregi, & Alexiæ præfecto Io. Picardus Toutrerianus S. D.

SCITE admodum à Pindaro, ode ſexta, vſurpatam inuenimus hanc vetuſtiſſimi cuiuſdam poëtæ ſententiam, Ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. Quo quidem dicto, Humberte præſtantiſſime, alioqui ſubobſcuro monemur iis fauendū eſſe, qui aliquid egregij facinoris aggrediuntur, ſimul vt ipſis addatur animus, & alij ad æmulationem prouocentur. Sed hodie tantùm abeſt vt quod ſuadet Pindarus imitemur plerique, vt potius dedita opera videamur aduerſari, moleſtè ferentes, ac ſæpius obſtrepentes ſi quis quid eximium tentet. Eò enim recidiſſe conſpicimus hominum quorundam ad obtrectationes & ſycophātias conflatorum malignitatem atque impudentiā, vt quum incultiſſimum habeant ingenium, nullíſque bonarum literarum adminiculis ſuffultum, non modò nihil quo ſe aliquãdo vixiſſe teſtētur exhibere poſſint, imò (quod iniquiſſimum eſt) ſi quid ab aliis laude dignũ procudi animaduertant, nullas omnino vias (nam id ego re ipſa comperi) nullas occaſiones ſibi reliquas facient, quò calumniam inferant, eorúmque nomen petulanti lingua paſſim cõpitorum impetāt.

Diceres Cybiraticos esse canes, qui nihil nõ aspectu collustrent, & naribus acutis olfaciant. Quod vbi præstiterint, mox bella audis hominum ineptissimorum iudicia. Hic enim taxatur vt nimium ieiunus ac languidus: illius oratio plus cutis habere dicitur quàm carnis. Alius verbis sesquipedalib⁹ ampullari iudicatur: alius humi repere. In hoc damnatur obscuritas & affectata verborum copia : in illo verò stylus paulò remissior. Denique hic non satis Ciceronianus est : ille nimium Ciceronianus vult haberi. Hæc, inquam, multáque alia ineptissimi homines coram idiotis proferunt, quibus ne fortè nihil scire videantur, suum de Sibyllæ foliis iudicium solent exponere, suæque censuræ symbolum audacter promere. Tam longè serpsisse videmus hoc malum, vt nemo sine maximo famæ suæ periculo quicquam librorum audeat euentilare, malítque optimus quisque aut nihil omnino scribere, aut si quid fortè otij fallendi gratia scribat, suis tamen egredi foribus haudquaquam permittere, sed in scriniis potius non alium in vsum quàm ad pascendas blattas continere. Neque id sanè absque ratione, præsertim cùm nihil tam circunspectè dici possit, quod non statim isti rapiant in calumniam. Hæc me causa primùm (vt ingenuè fatear) retinuit ne opusculum hoc nostrum, quod de prisca Celtopædia, aut, si mauis, de admiranda priscorum Gallorum doctrina & eruditione iam ante menses aliquot succisiuis tẽporibus meditari

cœperam, editione præcipiti diuulgarem: eíque potius veluti abortiuo & malè concepto non semel minatus fuerim vitales auras & Lucinæ beneficium intercludere. Id consilij quibusdam amicis meis minimè placuit, hortantibus vt opus ederem intrepidè, sed ita tamen vt potentioris alicuius authoritate (quod bona pars eruditorum facere solet) præmuniendum curarem: nihil enim tum fore periculi, imò nihil quicquam à rabularum sycophantiis metuendum, si alicuius viri magni fauore ac potentia tutum posset aliquando in lucem prodire. Visa est mihi tandē optima & æquissima hæc admonitio. Postquam igitur diu multúmque animo lustraui, sub cuius potissimum auspiciis publicandum, ac typicis Chalcographorum notis committendum esset: tu pol vnus, Humberte generosissime, inter tot alios multis maximísque tam nobilitatis, quàm virtutum ferè omnium titulis suspiciendos homines, mihi veluti summæ cuiusdam & authoritatis, & amplitudinis heros occurristi, cuius nomini meritò illud ipsum quantulumcunque est, censuerim esse consecrandū. Id vt facerē nonnullæ me rationes, atque illæ quidem grauissimę impulerunt. Primùm siquidē quoniam armatū clypeo tui ipsius fauoris opus improborū sycophātias, & aculeatos liuidorū, si qui fuerint, morsus facilè vitabit. Accedit quòd quum te non modò claris maiorum tuorum natalibus ingenuáque stirpe illustratum, verùm etiam generi tuo tantum splendoris ac di-

gnitatis adiicientem, vt vel ex milite gregario ad amplißimos honores virtute tua, etiãsi nulla prorſus auorum ſtemmata acceßiſſent, prouehi, nedum natalibus reſtitui potuiſſes, tota Campania Gallica miretur, obſeruet, diligat, idémque tota noſtra Alexia, cuius adminiſtrationi regis ipſius decreto pręfectus es, faciat: ego profectò mihi omnis amentię atque ingratitudinis ſocius viderer, ſi tantum boni patrię meę, cui nunc pręſides, ſuperûm nutu cõceſſum, aliqua ſaltem gratæ mentis ſignificatione non agnoſcerem. Hoc dum obiter liberius de te profero elogium, quibuſdam fortaſſe Agathoniam canere cantionem videri poſſem, niſi re ipſa compertiſſimum eſſet, neminíque non obuium quanta tuæ virtutis, tuíq; ipſius admirationis veſtigia vbique ferè locorum impreſſa reliqueris. Quod certè cùm aliorum multorum, tum in primis regis ipſius iudicio atque teſtimonio confirmari poteſt. Cur enim te ille fauore adeò propenſo ac ſingulari cõplectitur? Cur Torquatum equitem (qua dignitate paucos omnino reperias qui honeſtentur) creauit? Cur Campanię Gallicæ Proregem deſignauit? Cur equitum cataphractorum ducem delegit? Cur Alexiæ noſtræ pręfectum conſtituit? Cur denique nullis in rebus patitur ſuum tibi deeſſe patrocinium? Nimirum tum ob eam quæ in te relucet integritatem, tum ob inſignem militaris diſciplinæ peritiam ac bellicæ fortitudinis gloriam: quæ propemodum efficit, vt Achilles Gallicus communi

omnium ore dici merearis. Quo fit vt oppida illa quæ tuæ ditioni subiacent, & quorum Dominus in solidum es, Burdillonium, Raignerium, Songiacum, Mons-Regalis, & si quæ alia supersint generis eiusdem, talem hodie sibi optimatem contigisse meritò possint gloriari, præsertim quum te admirabili quadam prudentia tuis pręesse animaduertant, virúmque agere nulla ex parte non egregium. Verùm de his quum multa dici possent, nūc tamen illa à me silentio erunt pretereunda. Nolo enim hîc in delibandis tuis laudibus, quæ procul dubio maiores sunt, atque ampliores, quàm vt nostra ista tumultuaria latinitate possint repræsentari, longiùs excurrere. Nolo curiosius disputare quot, quantísque ornamentis tota tua familia alioqui & nobilissima, & antiquissima reluceat. Nolo expendere quanti literas memoriæ & antiquitatis custodes semper feceris, aut quantum historiarum lectione delecteris. Non etiam pōdero quanta opera & propensione bonarum artium professoribus fauere sis assolitus. Quæ duô posteriora, etiamsi aliarum rerū nulla fieret accessio, nomen tuum ætenę hominum memoriæ possent commendare. Nunc autem cum tot alij vndecunque affluant tituli, tot præclaræ res gestæ, tot fumosæ imagines & antiquissimi generis stemmata, non video equidē quàm facile sit encomia illa tua quauis laude superiora stylo perstringere. Quocirca, Humberte præstantissime, ego orationis meę tenuitatem præsentiens,

libenter ſuperſedeo immenſis illis laudum tuarum cumulis, ne fortè parum habilis oneri tanto ſuccũbam, neu carceribus iam relictis tanquã equus haud ſatis animoſus peccem ad extremũ ridendus & ilia ducã. Verùm tamen antè quàm dicendi finem faciam, hoc vnum abs te impetratum velim, vt hoc noſtrum (quale quale eſt) de admiranda priſcorum Gallorũ doctrina & eruditione tibi dicatũ opuſculum hilari fronte recipias, eíque patiaris celeberrimi tui nominis titulum, velut facem quandam prælucere. Ea ſiquidem iam à multis annis optima laudabilíſque inualuit conſuetudo, vt eruditi homines (inter quos remotiorem me locum obtinere ſatis intelligo) ſuas lucubrationes Mecœnatibus, Heroibus, ac ſummis viris, quos propenſa in literarum cultores beneuolentia eſſe ſcirent, cõſecrare nihil dubitarint. Atque illud ſanè viciſſim πρoτέρημα, & quaſi prærogatiuam quandam ſemper habuiſſe videntur literæ meliores, vt maximi ac potẽtiſſimi quique viri, nedum generoſiſsimi principes æqui boníque cõſuluerint libros quacunque de re conſcriptos ſibi ab eruditis dicari: ſatis nimirum intelligentes literas ipſas poſteritatis cauſa fuiſſe repertas, quæ obliuioni ſubſidio eſſe poſſent. Omnia namque exempla (vt cum Tullio dicam) iacerent in tenebris, niſi literarum lumen accederet. Hinc libentiſſimè Auguſtus Vitruuij librum de arte ædificandi ſibi dicatum recepiſſe dicitur: hinc libello de agricultura ſibi à Dipohane oblato nihil charius

habuisse rex Galatię Deiotarus. Hinc etiā Oppianus poëta quū Antonio Imperatori Seueri principis filio poëma de piscibus nūcupasset, ab eo totidē aureis nummis donatus est, quot illic versus continebantur. Sic Largius Licinius quadringentis millibus nummum Plinij Iunioris commentarios non semel emere voluisse perhibetur: sic Lysander ob paucula quædā carmina sibi dicata Antilochi poëtę pileum argento impleuisse: sic Domitianus Statium quendam cognomento Papinium natione Gallum, non tantùm magnifico & apparatissimo excepisse conuiuio, sed etiam corona insigni, aliísque muneribus opulentissimis honestasse: sic denique (ne singulos curiose persequar) alij non pauci tam rerum gestarum magnitudine, quàm honorū atque stemmatum dignitate illustres, quíque neglectis rebus caducis æternitatis memoriam ante oculos habuere propositam, & præcipuam vitæ voluptatem semper in literis reposuerunt, & studiosos ita amplexi sunt, vt libros etiamsi humiles sibi ab illis dicatos maximè gestierint. Quo fit, Humberte generosissime, vt facilè sperē te pro tua animi magnitudine hosce meos tametsi exiguos labores æqui boníque consulturum. Qua quidem re nihil mihi vicissim gratius, nihil optabilius contingere poterit. Ita enim (mihi crede) haud parum fiduciæ conatibus nostris addideris. Quod si exiguū fortè videatur munus (vt certè est) memineris tamen Artaxerxem Persarum regem benigna frōte

accepisse aquam sibi in itinere à quodã rustico vel manibus cauis vltrò oblatã. Bene Vale, vir multis nominibus suspiciende, méque totũ peculio tuo semper adscribito. Lutetiæ Parisiorum anno salutis humanæ 1556. Calendis Iulij.

Claudius Roillet ad lectorem.

Gallicus Alcides cùm pingitur, eius ab ore est
Magna ligatorum pendula turba virûm.
Scilicet eloquij muta est pictura, vetustum
Qua Gallus nomen quo tueatur habet.
Quod siquidem Græci pugnax manus Herculis olim,
Hoc Galli potuit lingua diserta senis.
Ecce Picardus eum viuo nunc exprimit ore:
Quem mutum ostendit picta tabella tibi.
Vt iam detracto picturæ cortice, dicas
Herculis hic viua est mortua lingua prius.

Herculis à Scalingiis decasthicon.

Vis tibi depingi fuerit quàm multa vetustæ
Gallorum gentis gloria, fama, decus?
Priscam vis horum παιδείαν nosse? sagaci
Vin' priscos horum voluere mente sophos?
Voluere mente sophos, queis Gallicus ordo prius quàm
Græcia floreret nobilitatus erat?
Denique Sequanicis doctrinæ quanta supellex,
Quantæ artes, & quæ Celtica lingua fuit?
Hæc te dia docet perpaucis Musa Picardi,
Quàm multum debes huic studiosa cohors.

Quid in singulis libris speciatim contineatur.

Ostenditur primo libro quanta sit apud multos auctores incertitudo super ijs qui literas ac disciplinas primi coluerint: adhæc quantum cæcutiant, quámque varient inter se plerique scriptores, qui Gallos aut per malitiam, aut per ignorantiam merita literarum laude priuent: denique recentissimis, & veluti nuper natis Græcorum (qui aliorum omnium facta suis semper attribuere soliti sunt) mendacijs nihil esse credendum: itémque literas longè antiquiores esse, quàm ab illis traditum sit.

Altero docetur quantum literis & eruditione claruerint prisci Galli, qui pluś octingentis antè annis Græcè philosophati sint, quàm Græci elemēta literarū à Cadmo fuerint assequuti: apud quos etiam constet quatuor præstantissimorum philosophorum genera, Samotheorū videlicet, Saronidarum, Druidarum, & Bardorū successiuè floruisse: qui omnes & eloquentiæ cultores fuerunt, & exactam cuiusuis scientiæ cognitionem habuerunt.

Tertio Græciam à Gallorum populis illustratam olim fuisse: ipsísque maioribus nostris linguam illam, qua vsi sunt Græci, tritam admodum fuisse ac familiarem: quam postea vnà cum literis ac disciplinis rudi Græciæ contulerunt.

Quarto adducuntur quàm plurimæ dictiones merè Græcæ, quæ hodie in vulgari nostro sermone quasi ipsius Græci sermonis reliquiæ passim à doctioribus obseruantur, ac notantur. Deinde monstratur vndenam effectum sit, vt aliud posteà Gallis idioma contigerit. Insuper quibus causis linguæ ipsius immutatio tribuenda sit: & quantis mutationibus obnoxium fuerit tam Gallicum idioma, quàm aut Latinorum, aut quoduis aliud.

Postremo recentiorum quorundam supercilia retunduntur, qui Gallos contumeliosè barbaros appellare non verentur, cùm tamen infinitis penè annorū spatijs literas prius habuerit Gallia, quàm vel Græcia vel Italia: constétque Italos plurimum & adiumenti & ornamenti à nostris habuisse. Cæterùm quàm peruersè faciant, qui barbariem ijs obtrudant, qui nec literarum, nec bellicæ fortitudinis gloria illis vnquam fuerint inferiores, quin potius, si res propius examinetur, aliquantò superiores.

IOANNIS PICARDI TOVTRERIANI DE PRISCA CELTOPAEDIA LIBER PRIMUS.

SCRIPTVRO *de prisca Gallicæ gẽtis, cuius vel ipso literarum nomine præstantior laus est, quàm vt vnquam intercidere debeat, eruditionis excellẽtia & claritate, tot ac tantas, affluẽte vndique luculentissima virtutum propè omnium amplitudine, sese mihi offerre video Iliadas, vt quidnam in tam vasta rerum præstantissimarũ sylua primùm persequar, aut quo styli genere rem tantã, támque inexhausti laboris opus aggrediar, omnino nesciã, cõspiciámque haud minùs arduũ esse huiusce argumẽti principiũ adinuenire, quàm exitũ: cùm præsertim, si verbis rei dignitatẽ consequi velim, nihil nõ magnum & præclarũ nihil nõ difficile & arduũ, nihil non sublime atque suspiciendũ occurrat. Neque enim vel de fumo, vel de asini vmbra, quod aiunt, nobis hic suscipiendus est sermo: non incondita deliramenta, non seniles fabellas, non Alcinoi apologos inani atque otiosa verborum structura sumus allaturi, sed rem profectò apprimè nobilem, insignem, illustrem: quæ effusissimas sui cultoribus laudes cõfert, & cuius gratia homines ad parentum, ac deûm propè vicem honoris immodici titulo prosequimur. Ea autem, ne quem nimis hoc loco*

Quanta ex literarum cultu gloria proueniat.

ſuſpenſum teneam, literæ ſunt. Siquidem nulla maior gloria celebritas, nulla fama candidior, adhac nullus omnino nec clarior, nec honeſtior nominis ſplendor ciuitatibus, regnis, ac populis contingere poteſt, quàm qui ex re literaria, quæ eminentiſsimum vbique locum obtinet, proficiſcitur. Et, quod longè pluris faciendum, nullæ laudes tam firmæ ſtabiléſque permanent, ac in multa ſecula protenduntur, quàm quæ parantur ex literis. Propter literas enim non tantùm homines inſignitè doctos ſingulari quodam, perpetuóque honore afficimus, eos quidem veluti tacito & arcano ſenſu animi ſuſpicientes, ſed ipſas etiam nationes & prouincias, quæ huiuſmodi religioſiſsimos Muſarum ſacerdotes olim aluiſſe, atque produxiſſe dicuntur, ſplendidis admodum titulis cumulamus. Quod adeò verum eſt, vt paſsim videamus populos ferè ſingulos vel earundem literarum inuentionem ſibi ipſis attribuere, vel certè multam in eis exercitationem: quaſi hercle laus illa, quæ ex cæteris rebus acquiritur, planè ſordeſcat, ſi cum ea, que ex literarum candore ac dignitate prouenit, conferas: aut quaſi nationis illius nomen in puluere iacere credatur, cuius nullos fuiſſe conſtet literariæ palæſtræ milites exercitatiſsimos. At dum ſingulæ nationes hac in re laudibus propriis nimiùm conſulère, dum etiam ſinguli ferè auctores plus æquo φιλοτιμοῦντι, aut, vt ſæpius contingit, γλωσσογάστορες hunc atque illum famæ celebritate cōſpicuum præ cæteris reddere voluerunt, mirum in quantos errores, quámque prodigioſa mendacia (quod deinceps latiùs patebit) præcipites delati ſint. Alia enim ab AEthnicorum, alia à Chriſtianorum traduntur annalibus. Vtque inſi-

nitis modis super hac cõtrouersia inter se differũt AEthnici, ita nec ipsis orthodoxæ fidei auctoribus inter ipsos satis interdum conuenit. Nimirum in re tam insigni, nobilique commemoranda conatur suæ quisque nationi, ac genti, aut etiam illis, quibus impense fauet, nominis immortalitatẽ quocunque modo conciliare, ob idque in stuporem posteros deducere. Hinc effectum esse cernimus, vt percelebrem literarum, artiúmque exercitationem præ aliis omnibus nationibus, si modò attribuant Hebræi, modò AEgyptij, modò Græci, modò verò & alij. Nec vllis auctoritates, seu rationes, quibus vel hanc vel illam opinionem confirment, deesse videmus. Gallis autem nostris nullo laudum genere non afficiendis, quòd aliquando, ne dicam hodie, reliquos populos doctrinæ, philosophiæque studio multis exuperarint stadiis, & à quibus etiam disciplinas hausisse Græcos perinde atque Latinos postea probare instituimus, potior scriptorum pars (non enim omnium dico) & eorum sanè qui grauißimi habentur, nihil, aut parum admodum (quod ægrè ferendum est) tribuit. Quorum somnia & commenta quædam mox in cautioribus ob oculos ponere non grauabor, quò sibi quisque ab iis præcauendum intelligat:

„ Ne posthac (quod ait Horatius) semel irrisus triuiis at-
„ tollere curet
„ Fracto pede Planum, licet illi plurima manet
„ Lachryma, per sanctum dicat iuratus Osirim
„ Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
„ Quære peregrinum vicinia rauca reclamat.

Demiror autem quid causæ fuerit quamobrem Gallorum,

qui totius Europæ clarißimi non literarum tantùm, sed & armorum præstantia fuerunt, adeò obscura, & veluti nescio quo obliuionis conopeo velata, & sepulta ferè hactenus dormiuerit æstimatio, vt non modò paucißima de illis prioris seculi scriptores posteritati reliquerint, sed nec literis quidem vllis proaui nostri verbum vnquam nobis vllum fecerint, quod si tamen fecerint, nihil omnino apud nos temporum fortasse vitio extet. Mira narrant plærique de Græcis, de Latinis, de Aegytiis, de Scythis, de Chaldæis, de aliis reliquis. Soli Galli omniũ tantò eruditißimi, quantò rei bellicæ olim, hodiéque peritißimi omittuntur, ac veluti obscura & incognita Demogorgonis spelunca latentes, vix in lucem possunt emergere: non quòd præclarißima quæque semper non præstiterint, sed quia in tantis rebus describendis nimiùm segnes, opinor, fuerint maiores nostri. Habeat Romanus formicam, faciet elephantum, Tumulum habeat humilem Græcus, statim Olympum produci, & veluti Atlantem ex Pygmæo assurgere videbis: vt non minùs aptè quàm eleganter hunc in modum cecinerit Quintianus noster in Cleopoli,

Tum Græcos, quàm Romanos semper ex re leuioris momẽti mira cõfinxisse.

» Græca renascenti splendens facundia lingua,
» Ex minimis maiora facit. Si fluminis vndas
» Aggreditur, totum videas consurgere pontum,
» Nereáque in solidas spargentem brachia terras:
» Si canit auritos lepores, adeò alta resurgit
» Gloria, marmoricos vt tester adesse leones.

Hoc semper morbo laborauit Græcia, vt ex re nihili & fabulosa arduam faceret, nimirum gloriæ inanis famelica. Quòd si huiusmodi gloriæ stimulis Galli nostri excita-

rentur, tam rerum optimarum vbertate, quàm pura & aperta veritate, cum reliquis omnibus possent & contendere, & victoriæ compotes fieri. Quid enim habent nunc illi, aut vnquam habuerunt quo careamus? Nec de Græcis tantùm, sed egregiis quoque rerum ostentatoribus Latinis loquor, qui Græcorum imitatione se suáque ita prædicarunt, vt haud sciam an aliquid illis decantandũ superſit. Nullũ est Tusculanum, nulla villa, nullus vel mõticulus vel fonticulus, nullũ flumen, nulla sylua, nulla terra quantulicunque vini ferax, nullus hortus, ædificia nulla, quæ silentio inuoluta dimiserint. Variis artificibus, quos immodicis laudibus ad sydera ferunt, plena sunt eorum volumina. Pictoribus, statuariis, sculptoribus, venatoribus, architectis, rerum inuentoribus, gymnastis & palæstricis, athletis & pugilibus, hippodromis & catadromis, nautis, fabris, aurigis, aliísque id genus artificibus sibi placent immoderatè, ita vt vtraque gens æstu quodam gloriæ percita, de inani ambitione certamen suscepisse videatur. Peculiare est, & ingenitum fortasse populo vtrique malum, vt mira de lente. Non video quidnam habeant quod indictũ prætermiserint. Nec ipsis quoq; histrionibus Roscio, Paridi, AEsopo, Stephanioni Togato, Pyladi, Rubrio, Hylæ, Astydamæ, Nicostrato, Ofilio, Saculio, Thymelæ, Polo, Callipidi, Cylisco, Castori, Docili, aliísque generis eiusdem sua laus defuit. Suam quoque gloriam & famam celebratissimam reportarunt Esernius, Pacidianus, Bithus, Bacchius, Spartacus, Martianus, Turbo, Spiculus, Gracchus, & siqui alij huiusmodi fuerint apud eos Retiarij, Mirmillones, Hoplomachi, Munerarij, atq;

Nõ modò insignes, sed etiã infimos quosque viros tã à Græcis quã à Latinis celebratos fuisse.

Histriones varij.

Gladiatores.

Palæstritæ et luctatores. Laniſtæ. Nec ſua nominis claritate caruerunt Pancratiaſtæ & luctatores quicunque apud illos inuenti ſunt Brotheas, Ammon, Caſtor, Pollux, Amycus, Buthes, Eryx, Eutymus, Ancæus, Iphyclus, Phileus, Ageſias, Archias, Milo, Cleomedes, Ageſidamus, Cleomachus, Democrates, Demarchus, Diagoras, Clitomachus, Hypenus, Marullus, Nicedorus, Polydamas, Dares, Entellus, Theagenes, Androgeus, Pithodemus, Corycus, Patrobas, Lycus, Aegles, Glaucus, Eurydamas, Heraclides, Iſchomachus, Lachus, Topſius, Cyllon, Callias, Pyrrhecmen, Degmenus, Phrynon, Anenicon. Spurios omnes, bractearios, inceſtuoſos, deformes, riuales, mangones, procos, lachanopolas, figulos, latrones, pecuarios, ſacrilegos, pyratas, piſcinarios, Zelotypos, cinifiones, petauriſtas, eunuchos, ſpadones, adulteros, balbos, claudos, cæcos, ſuffarraneos, furioſos, ſtrabones, mutos, peſtilentos, parricidas, periuros habent in numerato, eorúmque omnium nomina poſteris cognita & celebrata fieri voluerunt. Nutrices. In eorum annalibus cum maximo honoris titulo memorantur nutrices infinitæ, quòd nonnullos viros magnos ac principum filios aliquando educauerint, Philix quidem quòd Domitianũ, Beroe Semelen, Nyſa & Ino Bacchum, Policha Oedipum, Barce Sichæum, Caieta AEneam, Aceſte Adraſti regis filias, Charme Scyllam puellam, Amalthea, Meliſſa, Adraſtea, & Ida Iouem, Acca Laurentia Romulum, Amycla, vel, vt alij legunt, Amyda Alcibiadem, Hellanice Alexandrum, Eupheme Muſas, Vlyſſem Eryclea, Cyrum regem Spaco, Neptunum Caphyrna ſeu Calphurnia Oceani filia, Archemo-

rum Lycurgi filium Hypsiphile, alios denique & aliæ. *Obstetrices.*
Nec suas obstetrices Thressam, Sotyram, Salpem atque alias id genus omittendas censuerunt. Tubicinibus Miseno, Stentori, Tritoni, Olympio, Aglaidi, Agyrtæ, multisque aliis sua laudes, atque illæ quidem amplißimæ sunt attributæ. Non tantùm gigantibus, sed etiam pygmæis atque homunculis immortale nomen suis scriptis pepererũt. Quid homunculis? imò & suas impudicißimas meretrices Thaidem, Cytherim, Lycoridem, Phrynen, Laidem, Glyceram, Rhodopen, Barinen, Spatalen, Fauculam, Floram, Leontium, Synopen, Metram, Nicetam, Aquilinam, Aphram, Dignam, Eutropiam, Cumeniam, Campaspen, Leænam, Lyden, Aspasiam, Cyrenen, Timandram, Pythonicam, Lyciscam, Stagonion, Anthin, Manuliam, Philenin, Alcen, Paulam, Pandemum, Cynnam, Myntham, Casurium, Salauaccham, Abrotonum, Archidicen, Hermiam, Pyrrhinen, Cæliam, Anticyram vnà cum suis impurißimis lenonibus Crobilo, Cinnaro Selinusio, Silone, Hylaria, Dipsade, aliisque id genus permultis adeò diligenter annotarunt, necnon inflatis extulerunt buccis, vt extimuisse videantur ne talium hominum memoria cum ipsis sepeliretur corporibus. Id ipsum quoque de innumeris catamitis Aemylio, Gargiliano, Armodio, Aristogitono, Alexandro Abonotichite (cuius meminit Lucianus) & Mamurra factum comperimus. Quid igitur mirum si tot chartas impleuerint, tantum elucubrationum posteris reliquerint: cùm ne minimas quidem res, etiamsi parũ dignas voluerint prætermittere. At nos quàm diuersi sumus ab illis! Quanta hodie, Dij boni,

Tubicines. *Meretrices.* *Lenones.* *Catamiti.*

si eorum similes essemus, & futili commendatione moueremur, rerum describẽdarum copia nobis suppeteret! Quis lituus personandis laudibus nostris par esse posset! quum nullis planè artibus aut disciplinis, nullis humanæ vitæ necessariis rebus, quas vbique suarum regionum habuerint, careamus. Exponant nobis, & herbã dabimus, modò nihil comminiscantur, quid vnquam præconio dignum in suo solo viderint, quod ipsi non habuerimus. Imò verò quàm multa nobis & sunt & fuerunt dignis alioqui encomiis celebranda, quorũ penuria cæteros laborasse ostendi possit! Vnum duntaxat video, quo sibi placere, speciosè ingredi, & veluti audaciùs in nos insultare illis liceat: nempe quòd suas Gallia quantumuis eximias cùm multarum rerum, tum maximè disciplinarum suarum laudes nescio quomodo iacêre permiserit. Quod magísne iniuria temporum, an scriptorum negligentia contigerit, vix habeo quid proferam. Ipsos tamen Gallos compertum est rerum multarum copia, virtutum magnitudine, doctrinæ præstantia, probitate morum, consilio, prudentia, & comitate nullis vnquam terrarum populis fuisse inferiores. Nescio si boni ac periti esse maluerint, quàm apparêre. Hoc vnum tamẽ verè affirmari potest, si illi tantùm eminere quantùm aut Græci, aut Romani voluissent, nullam vnquam hominum memoria nationem fuisse, quæ amplioribus titulis potuisset illustrari, nullúmque potentis adeò eloquij scriptorem vixisse, cuius doctrina scribendæ Gallicæ virtutis, aut dignitatis particulæ, ac minimæ quidem portioni non succubuisset exhausta. Sed nec illos propterea, qui ante nos vixerunt, probè axcusandos censeo.

Galli suas laudes, & eas maximè quas nomine literarum impunè sibi arrogare poterant, iacêre permiserunt.

Debuerunt enim, si non pro rei dignitate, quod certè fieri non potuisset, saltem pro ingenij, viriúmque captu ea attigisse, quæ ad conseruandam aliquam nominis Gallici memoriam faciebant. Nec verò in delibandis progenitorum nostrorum facinoribus, & inuestigandis patriæ laudibus ἀργῦαι φορᾷ, vt Pausanias loquitur, pertimescere debuerunt, cùm præsertim latissimus tot præclarissimarum rerum, non autem fabularum describendarum campus illis patuerit. Non etiã mythologicorũ, nec ἐγκωμιαστῶν, aut palponum vitio ac suspicione laborare dici potuerant (quod nostri temporis historiographis nimiùm sæpe obiici solet) cùm nostros illos protogonos ita semper in suis sese actionibus habuisse cognitum sit, vt vix vllus inter eos reperiatur, qui pronus ad stupra atque rapinas fuerit vt Iulius, ad secretiora adulteria vt Octauius, ebrietatem & commessationes vt Tiberius, vim sororibus inferendam vt Caligula, crudelitatem vt Claudius, vt Seuerus, vt Antonius Bassianus Caracalla, nullus præterea matrem interfecerit vt truculentissimus ille Nero, auaritiæ studuerit vt Galba, sordidæ fuerit gulæ vt Vitellius, astutus & fruduleptus vt M. Antonius, proditor ac perfidus vt Perpenna Consul, vt Cn. Domitius, protentosæ libidinis crimine conspurcatus vt Heliogabalus, Senatorum interfector vt Domitianus, vt Traianus, vt Diocletianus, popino & vita moribúsque monstrosus vt Antonius Verus, vt Commodus, insontium occisor vt Adrianus Pedolatres, deparcus ac sordidus vt Aelius Pertinax, in cupediis assiduus vt Pub. Gallonius, vt L. Piso, vt Apitius, vt Maximinus iunior, parricida & incæstuosus vt

Romani imperatores multa vitiorum labe conspurcati.

*Baßianus, vt P. Clodius, nullus etiam fuerit ad instar M.*Drusi *superbus & arrogans, Maximi gulosus & lucro, Adriani æmulationis liuore correptus, Septimij Seueri, Martij Sabini, Valerij Publicolæ, Cornelij Syllæ, & Qu. Metelli simultate atque odio flagrans, Zenonis ambitiosus, aliorum denique non paucorum more probrosis flagitiis turpiter adobrutus. His, inquam, omnibus portentis, quibus indignißimè fœdata olim Roma fuit, nostras caruiße regiones meritò gloriamur, vt interim non absque graui ratione fœlicem regibus Galliam scripserit Italus ille Politianus. Proinde fit nescio quomodo vt quotiescunque siue doctrinæ Gallicæ, siue rerum præclarè à nostris gestarum mihi venit in mentem, eorum qui nos præcesserunt, incuriæ non poßim non subirasci, & tacitè diris eos deuouere, quòd suapte negligentia Gallicam gent m tot literis, tot philosophis, tot academiis, tot conspicuis regum antiquorum facinoribus, tótque aliis rebus eximiis illustrã-dam, & historiarum conscriptione clariùs aliquanto posteritati inculcandam non procurarint diligentiús. Esset, esset, inquam, nobis, quo Romanam superbiam, & Græcam vanitatem in historiis nihil non sibi attribuere ausam deprimeremus, si veteres illi secula nostra relictis optima serie rerum bene gestarum descriptionibus tantùm decorassent, quantùm sua egregiis excoluêre virtutibus. Nihil omnino habuissent Græci, nihil Latini sibi à nobis inuidendum. Neque quicquam hodie Galliæ nostræ deesse videretur, si penuria scriptorum non laborasset. Ea autem cùm laborauerit, effectum est vt multò audaciùs mentiri ausi sint tam Græci, quàm Latini, in his sibi attribuendis:*

quæ minimè fuerant attribuenda. Quòd enim ad Græcos attinet, eò vsque progressam ipsorum famam, atque authoritatem videmus, vt hodie in ore ferè sit omnium, primos eos literarum, omniúmque scientiarum authores fuisse atque cultores: ex, eóque vberrimo fonte & Gallos posteà, & Germanos, ipsos denique Romanos (quod tamen non vbique fatetur Cicero, licet primo libro de Oratore, Athenas omnium artium inuentrices faciat) ceu plena, quod aiunt, manu non modò mechanica pleraque, sed ipsam quoque rerum optimarum cognitionem, atque in iis exercitationem, quæ philosophia nominatur, hausisse. Ac in ea quidem sententia fuère cùm alij non pauci exquisitæ doctrinæ scriptores, tum Ouidius vbi de Samio Pythagora scribit hunc in modum, Quantam de Græcis opinionē omnes cōceperint.

» *Mente deos adiit, & quæ natura negauit*
» *Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.*

Simile quiddam de Socrate sentire videtur M. Tullius libro quinto quæstionum Tusculanarum, cuius verba sic
» *habent, Socrates autem primus philosophiam deuocauit*
» *è cælo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam intro-*
» *duxit, & coëgit de vita & moribus, rebúsque bonis &*
» *malis quærere. Huc pertinet quod Apuleius pro fulcienda Græca vanitate in Floridis asseruit Pherecydem philosophum Scyrum, qui Seruio Tullo σύγχρονος fuit, oratione soluta primum omnium scribere cœpisse, quod & Plinius libro septimo testatur. Alij tamen id attribuunt Cadmo sexto. Quibus minimè aduersatur Suidas, licet non præscribat quisnam potissimum ex omnibus Cadmis ille fuerit. Quæ sanè de Græcis opinio, aut potius opinatio* Opinatio ciceroni imbecilla assentio est: opinio verò fama de aliquo cōcepta.

ſic vrbes perſuaſit, ſic academias penè omnes oppleuit, ſicque hodie mentibus omnium infixa eſt, vt ſiquis vel optimis rationibus adductis diſsideat, & aliquid contrà ſentiat, videatur illud omnino, non dicam vulgaribus hominibus, ſed multis etiam eruditis quaſi ἀπ᾽ ἀκροφυσίων, καὶ ἀπὸ κιναβευμάτων, *vt Ariſtophanes loquitur, prouenire. Tanti eſt momenti aliquam ſemel opinionem animo imbibiſſe. Hoc autem adeò propenſum hominum iudicium non aliunde arbitror procedere, niſi quòd plerique, vt ferè fit,* ἄγαν φιλέλληνες *multa opera & propenſione in vnam Græciam laudis aceruos omnes extruunt, in eámque vnam poſthabita gentium reliquarum æſtimatione, omnium diſciplinarum præcipuam conferunt gloriam: nimirum vel aliis nationibus maleuoli, vel etiam, quod ſæpe accidit, Græci idiomatis luxu, & orationis lepòre ducti: ad cuius collationem omnia alia facilè illis viteſcunt. Alij verò etſi aliquando non omnino indocti, paulò minùs tamen conſyderati quàm deceat, ſolo aliorum relatu, ac imitatione ſuam ſtatim ſine vlla quidem obtrectatione aut maleuolentia proferunt ſententiam, atque eandem poſtea, ſi liceat, ſcriptis manifeſtam faciunt, ratúmque id habent, & conſtantiſsimè tuentur, quod ab iis quos maximè probant, iudicatum vident, nempe addicti & conſecrati certis quibuſdam, deſtinatíſque ſententiis, & tandem ea interdum neceſsitate conſtricti, vt illa etiam quæ iam pœnitentes probare non ſolent, cogantur conſtantiæ cauſa defendere. Quot enim, per Deum immortalem, reperias, qui malint eam quam priùs adamauerunt ſententiam pugnaciſsimè tueri, quàm ſine pertinacia quod verè, rectéque*

Solent homines opinione ac fama, nō minùs quàm aliqua certa ratione commoueri. Pro lege Manil.

Libro quarto Academicarum quæſt.

dicatur exquirere? Atqui non tam authoritas in rebus discendis & exquirendis, nec pertinacis animi constans opinio, quàm rationis momenta quærenda sunt. Vtrumque enim plerunque obest iis qui discere, & aliquid de vero inuestigare volunt, vt qui desinant suum ipsorum adhibere iudicium, dum aut summis id assentionibus comprobant, quod ab eo quem amant, & amplectuntur, audiunt esse comprobatum, aut illud obstinatè volunt sustentare, quod primùm leuitate quadam animi liberius professi fuerant. Hoc loco in huiusmodi homines nec destomachor, nec satyricè ago, quanquam id iustè quidem possem. Tantùm moneo, vt discant in posterum maturiori iudicio singula expendere, discant & falsas, quas priùs impresserunt animis, opiniones relinquere, & in meliores exuta omni pertinacia commutare. Et si priùs de Gallis pleraque non satis honorificè senserint, vel si eorum genus incultum, barbarum, ἄμουσον crediderint, atque externis obtrectantibus; barbariẽmque nobis obiicientibus aures nimium faciles hactenus præbuerint, audiant nunc eos qui rectiora atque veriora inculcant, intelligántque Gallos ipsos literarum splendore, doctrina, ingenuis artibus (omitto hìc Gallici imperij, & bellicæ laudis, qua illi semper claruerunt, dignitatem) omni denique disciplinarum genere ante Græcos, nedum Latinos fuisse & excultißimos, & exercitatißimos. Tot enim rationes, eædémque tam validæ ad id probandum sese offerunt, tot etiam virorũ clarißimorum, & antiquitatis nomine venerandorum authoritates, vt insanus omnino sit qui non assentiat. Verùm ante quàm quod institui pertractem, & ad firmam ipsius rei proba-

Idẽ ferè sentit Cicero libro primo de nat. Deorũ

tionem me accingam, operepretium fuerit ostendere (id enim extra oleas non est) quàm varient inter se, quàm hæsitent, imò etiam quantum cæcutiant non vnus & alter, sed infiniti propemodum scriptores, qui dum Gallos vel per malitiam, vel per ignorantiam merita literarum laude priuant, eámque modò in hunc, modò in illum conferunt, in tantas mehercle, támque absurdas repugnantias delabuntur, vt parum oculatum esse oporteat eum qui non auditis tot contrariis inter se opinionibus vel tantisper sapiat, & veritatem intelligat sibi aliunde certiùs petendam, quàm ab huiuscemodi logodædalis. Quibus omnibus sigillatim respondere nõ est necesse, cùm ipsimet satis fidem sibi mutuò abrogẽt. Mihi sit satis in præsentia lectorem sic quasi per transennã admonere, vt si emunctæ naris fuerit, id genus Graculos posthac, vbi de literarũ, artiúmque illustratione, atque celebritate incidet locus, suspectos sit habiturus. Quemadmodum enim qui longè à finibus errans incertis vagatur sedibus, sic istos à veri semita nõ parum dissitos in sinuosis, ac teterrimis obuersari labyrinthis necesse est. Vnde nihil mirum si sæpe alterum alteri repugnare animaduertamus, sique alter in alterum non raro debacchetur. Siquidem illi & maximè Græci ipsi sese mutuò solent mendaciẏ coarguere. Nec pudet eos iisdem de rebus contraria scribere. Notissimum quippe est quot in locis Hellanicus ab Agesilao dissenserit, & quoties Herodotum, quem Cicero historiæ patrem esse dixit, coarguat Agesilaus, itémque quomodo Ephorus Hellanicum in pluribus ostenderit esse mendacem, Ephorum verò ipsum Timæus, Timæum posteri, Herodotum quàm plurimi.

Græcorũ varia inter ipsos pugna atq; opiniones.

" *Semper enim Græci, vt scriptum reliquit Diodorus libro*
" *tertio, aliquo tempore in literis, ac philosophia morati ad*
" *quæstum conuertuntur, eiúsque gratia nouis semper opi-*
" *nionibus studentes, déque maximis disciplinis altercantes,*
" *incertos discipulos reddunt, animósque hominum per*
" *omnem vitam errare compellunt, & nulla in eis certa sci-*
" *entia dubium, & in confuso relinquunt. Quæ quidem res*
" *eò facilior illis factu fuit, quòd instructi copia dicendi, vt*
" *ait Lactantius, homines captarent.* *Hinc mirabile est quantas mendaciorum caligines atque tenebras excitarint. Nec illos puduit interdum nomina, interdum quoque facta aliorum populorum suis nouitiis, atque hesterno veluti die (si cum aliorum antiquitate comparentur) natis heroïbus adscribere. Quod Herodotus, tametsi Græcus, in sua historia minimè negauit. Verùm tamen quò pluribus myrothecis, ac verborum lenociniis sua illi fucant mendacia, eò diligentiùs, cautiúsque ab his sibi debet quisque præcauere. Nam vt eleganter notat Euripides in Phœnissis,*

" Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
" Κ᾽ οὐ ποικίλων δεῖ τ᾽ ἀνδίχ᾽ ἑρμηνευμάτων,
" Ἔχει γὰρ αὐτὴ καιρόν, ὁ δ᾽ ἄδικος λόγος
" Νοσῶν ἐν αὐτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν,.

Est autem hoc loco animaduersione dignum quidnam olim de illis ariolatus fuerit sapientissimus ille Cato, qui ad filium scribens, vt author est Plinius libro naturalis historiæ vicesimo nono, tale vaticinium dicitur protulisse:
" *Dicam, inquit, de istis Græcis suo loco, Marce fili, quid* *Catonis de*
" *Athenis exquisitum habeam, & bonum sit illorum lite-* *Græcis vaticinium à Pli-*
" *ras aspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum, &* *nio annotatum.*

„ indocile genus eorum: & hoc puta vatem dixisse. Quã-
„ docunque ista gens literas suas dabit, omnia corrumpet. Quæ Catonis sententia suum procul dubio effectum sortita est. Postquam enim Græci eos progressus in literarum studiis fecissent, vt facilè palmam cæteris iam præriperent populis, mox theologia (non eam intelligo quæ hodie à Christianis excolitur) philosophia, μαντεία, & magia, quas disciplinas eruditissimus Samothes (authore Beroso) Gallus tradiderat, susceptis Græcorum fabulis nõ modò in Gallia, sed vbique ferè terrarum corrumpi cœperunt, adeò vt omnia nescio quibus næniarum inuolucris referta fuerint. Sed videnda quæ de his quoque apud Platonem in Timæo recensentur: ibi enim narratur Solonem Salaminium aliquando in AEgypti regionem, cui Delta nomen esset, profectum, illicque cum in ciuitate Saim quiesceret, de vetustatis memoria à sacerdotibus, qui eiusce rei cæterorum peritissimi erant (nec enim Aegyptij sacerdotes aleæ, scortationibus, ebrietati, aut gulæ indulgebant, non etiam turpi otio delitescebant, sed soli ferè erant, quibus ob assiduum studium atque contẽplationem tam bonæ artes, quàm rerum omnium antiquarum memoriæ innotescebant) quæsisse: tum demum ex sacerdotibus ipsis quendam natu grandiorẽ hunc in mo-

AEgyptij sacerdotes quondam instructissimi.

„ dum respondisse, O Solon, Solon, Græci semper pueri
„ estis, nec quisquam è Græcia senex: cur id proferret percontante Solone, Quoniam, inquit ille, iuuenis vobis sem-
„ per est animus, in quo nulla est vetustatis commemorati-
„ one prisca opinio, nulla cana scientia. Et paulò pòst, Ideo,
„ inquit, qui succedunt & literis & Musis orbati sunt.

" *Quo fit vt quasi iuuenes iterum sitis, & rudes, præterito-*
" *rum omnium prorsus ignari. Nam & ea ipsa quæ modò*
" *ex vestris historiis recensebas, à fabulis puerilibus, ò So-*
" *lon, parum distant. Hæc Plato, quamuis Græcus de suorum vanitate producere nihil erubuit. Philastrius episcopus Brixiensis, vir si non orationis & eloquij Tulliani suauitate adeò præcellens, nequaquam tamen eruditione vulgari expolitus, nec prophanarum disciplinarum nescius, cui maxima cum Ambrosio familiaritas intercessit, & cuius meminit Aur. Augustinus in quadam epistola, Ad quod vult Deum, in opere illo quod de quinquaginta sex hæresibus inscripsit, quódque ex omnibus, quas ille posteritati reliquerat, elucubrationibus, solum, ni fallor, ad hanc nostram peruenit ætatem, sic nobis equidem, quãtum ad hoc propositum attinet, fauere videtur, vt contra communem aliorum opinionem nec literarum, nec generis antiquitatem Græcis tribuendam censeat: eam enim licet permulti eorum auctores quibuscunque modis confirmandam, & editis libris illustrandam curauerint, efficere tamen non potuisse quin tandem in auras ipsorum mendacia prodierint, atque etiam vel aliis Grecorum testimoniis vanitatis, summæque impudentiæ multoties insimulati fuerint, & conuicti. Ipsa Philastrij verba, quòd legenti cuilibet innotescãt, poßintque ab ipso auctore peti, consultò hìc prætermittimus. Hinc itaque Metasthenes Chronologus Persicus in libro de iudicio temporum, & annalibus Persarum, eos qui sese ad scribendum accingere parant, pulchrè monet, ne aut opinioni, aut aliorum relationi nimiũ innitãtur, ne Græcorum more hallucinãtes*

Philastrij Brixiensis episcopi testimoniũ

Pulchra Metasthenis Persici admonitio.

& se & alios decipiant, hominúmque mentes per omnem vitam multa hæsitatione diuagari cogant. Ex illo Metasthenis, quemadmodum & Platonis & Philastrij loco facilè colligi potest, quantum authoritatis, aut fidei ipsis Græcorum historiis sit adhibendum, & maximè quoties illos audimus propria encomia decantare. Quid enim tunc non audent? Proinde rectè Iuuenalis Satyra decima,

» *-Et quicquid(ait) Græcia mendax*
» *Audet in historia. Et Valerius Flaccus,*
» *-Te Græcia fallax*
» *Persequor. Et Faustus,*
» *Garrula sublimem si Græcia iactat Homerũ. Et Mantuanus,*
» *Atque aliæ cæli formæ quas Græcia mendax*
» *Finxit. Plinius quoque portentosa Græciæ mẽdacia vocauit. Sed quid plura id genus testimonia necesse est accumulare? Superest vt paulò curiosiùs, & emissitiis veluti oculis contemplemur, quanta opinionum, aut fabellarum (sic enim rectiùs appellemus) nos torqueant varietate nõ modo Græci, sed & interdum Latini scriptores. Primos literarum splendore celebres, & qui philosophiæ aliquam attulerunt lucem, quíque primi syderum obseruationes coctilibus laterculis inscripserunt Epigenes, vt ab eo incipiam, indéque multi alij Babyloniorum antiquitati fauentes, cum ipso Epigene tradiderunt fuisse Babylonios, siue Chaldæos, hoc est, secundum Strabonem libro duodecimo, Ponti populos, qui anteà Chalybes dicebantur, & Alizones postea ab Homero nuncupati sunt. Apud quos vetustioribus illis seculis fuisse Genethliacos, & Mathematicos, qui in Astrologia iudiciaria*

Babylonij, siue Caldęi primi literarum artiũque cultores à nõnullis existimati.

toti essent, cùm ex multis veterum monumentis, tum ex Mosi pentateucho licet quodammodo elicere ac iudicare. Hinc diuersis inter eos opinionibus super eadem doctrina exortis, alios scribunt appellatos fuisse Orchenos, alios Borispenos, alios aliis nominibus pro ratione sectarũ quas amplectebantur. Alij tamen prorsus dissentientes id pernegant, voluntque potius literas ipsas (cui sententiæ libẽter etiam adstipulatur Gellius) primùm excultas fuisse apud Aegyptios (qui prius animalium effigies literarum loco habuisse dicuntur) sub Mercurio quodam. Quam opinionem etsi Anticlides fuerit sequutus, Menona tamen, non Mercurium facit repertorem: & hoc annis quindecim ante Phoroneum primum, & antiquissimum Græciæ regem, quemadmodum idem monumentis approbare conatus est. Sed qui hodie apud nos Mercurij inuentum credunt, magis audiendos putat bona pars eorum qui in vero inuestigando aliquam temporis partem collocarunt, quòd grauissimis constare dicant rationibus, Mercurium illum (quemadmodum ostendit Artabanus) nullum alium quàm Mosem fuisse. Quem tamen, inquiunt, Græca vanitas suo more tenebris omnia sepeliens ita nuncupauit, nempe ἑρμῆν. Huc pertinet quod Diodorus Siculus Dædalum, Melampum, Pythagoram, Homerum, complurésque alios eruditionis causa in AEgyptũ profectos ait, atque indè in patriam suam dogmata quemque retulisse. De Pythagora testimonium extat apud Ciceronem libro de Finibus: Cur, inquit, Pythagoras & AEgyptum lustrauit, & Persarum Magos adiit? Quin etiam Orpheum, & Musæum, & Linum ab AEgyptiis didicisse

Orcheni, & Borisceni.

AEgyptij.

Mercurius.

Menon.

Moses ab AEgyptiis ficto nomine Mercurius dict⁹.

orgia, & theologiam, & rerum scientiam, eáque omnia in rudissimam, & absque literis Græciam retulisse idem Diodorus libro primo, atque aliis manifestè tradit. Præterea septem illos sapientes à nemine non decantatos, qui Græciam suo ipsorum splendore tantopere ornarunt, eámque literis & sapientia auctam reddiderunt, ab AEgyptiis philosophiam didicisse non tantùm Diodorus, sed & alij quàm plurimi asseuerarũt. Nec alienus est ab hac opinione Aristoteles, qui libro primo Metaphysices ostendit in AEgypto primùm Mathematicas artes comparatas fuisse, quòd ibi sacerdotes in ocio omnium concessu degerent. Verùm vlterius progrediamur. Sunt qui ad Syros literarum, artiúmque referant originem. Vnde & Cadmum illum Agenoris filium Thebarum Bœoticarum conditorem eas è Phœnicia, quæ regio est inter Syros, numero sexdecim in Græciam intulisse multi cum Herodoto autumarunt, quamuis Lucanus id non omnino audeat de ipsis Phœnicibus affirmare, qui libro tertio ait,

Septem Græciæ sapientes vndenã philosophiã desumpsisse creduntur.

Syri.

" *Phœnices primi, famæ si creditur, ausi*
" *Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

Phœnices.

Liberius tamen de horum doctrina, & inuentis pronuntiauit Dionysius: cuius carmina sic à Rufo citantur,

" *Phœnicum regio est: hi rubro gurgite quondam*
" *Mutauere domum, primíque per æquora vecti*
" *Lustrauere salum, primi docuere carinis*
" *Ferre canis orbis commercia: sydera primi*
" *Seruauere poli: & alia id genus.* Hoc etiam indicat Plinius libro quinto. *Ipsa gens, inquit, Phœnicum in gloria magna literarũ inuentionis & syderum, naualiúmque*

,, *ac bellicarum artium. Has item Orpheum Apollinis* Orpheus.
& Calliopes filium hominibus dedisse putauit Alcida-
mas rhetor. Nonnulli Cecropem, Atheniensium regem. Cecrops.
Alij Linum Orphei præceptorem Apollinis & Terpsico- Linus.
res, aut, si Hermodoto Platonico credamus, Mercurij &
Vraniæ filium, poëtam alioqui antiquissimum, qui eodem
auctore libro disciplinarum primo, vt memorant, ipsis eis-
dem literis libellum scripsit de mundi generatione. Pleri-
que ex Græcis fabulatoribus Calliopen, aut, si mauis, Cal- Calliope.
liopeiam: cùm tamen eam nonnulli versibus duntaxat he-
roicis præesse, simúlque eorum inuentricem fuisse dixerint.
Alij Simonidem Melicum, poëtam Lyricum: quem tamē Simonides Melicus.
Plinius libro septimo harum tantùm quatuor literarum
ζ, η, ψ, & ω repertorem dicit, & præterea octauam in
lyra chordam inuenisse. Alij Palamedem Nauplij Eu- Palamedes.
boeæ regis filium, licet ille, vt plurimorum sententia est,
has tantummodo quatuor θ, ξ, χ, φ in bello Troiano præ-
monstrare ceperit: hinc haud vulgarem apud posteros fa-
mam consequutum. Attamen si rem propiùs intueri lu-
beat, id videbitur potius immortale ipsi Palamedi no-
men conciliasse, quòd scientias multas, puta calculorum,
mensurarum, & ponderum rationem (vt volunt) excogi-
tarit, & Astrologiæ peritissimus annum ad cursum Solis,
& menses ad cursum Lunæ accommodare incœperit, pri-
músque in castris Græcorum visam, atque illis temporibus
reformidatam Solis eclipsin naturalem, minimèque timē-
dam esse docuisse feratur. Verùm quas Palamedi tribuunt
literas, nempe θ, & χ, maluit Aristoteles ab Epicharmo Epicharmus.
additas. Voluerunt alij, vt annotauit Diodorus libro

AEthiopes. quarto, AEthiopas primos literas illustrasse, ab iisq; AEgyptios eorum colonos exinde illas accepisse, & ab his deinde reliquos. Quid? quòd Romani ipsum literarum decus ad se ipsos transferre volentes, asserunt eas à Pelasgis primùm in Italiam allatas, quemadmodum testantur Solinus, atque Plinius. Tradunt & Carbilium Spurium grammaticum literam, g, Claudium verò Centimanum literam, r, primos excogitasse. Voluerunt alij Nicostratam Euandri matrem, quæ à Liuio Carmentis dicitur, has Latinis primùm dedisse. Dionysius verò in primo ait Arcadas primos in ipsam intulisse Italiam. Quæ duæ posteriores sententiæ parum admodum, aut certè nihil inter se differunt, cum Nicostratam Arcadicã fuisse constet. At Liuius Euandrum ipsum authorem facere videtur libro ab vrbe condita primo ita scribens, „Euander „tum ea profugus ex Peloponneso authoritate magis quàm „imperio regebat loca, mirabilis vir miraculo literarum, rei „nouæ inter rudes artium homines. Cui sententiæ succinens Cornelius Tacitus scribit Aborigines populos antiquissimos (qui scribente Stephano primi tenuerunt agrũ illum in quo postea Roma constructa fuit) ab Euandro Arcade didicisse literas. Rursus alij diuersos diuersis in locis authores faciunt literarum, existimántque Rhadamãtum Iouis & Europæ filium eas dedisse Assyriis, Anubim Osiridis filium (sub cuius forma Mercurium postea coluerunt) AEgyptiis, Phœnicas Græcis, Carmentã Italis. Hodie bona pars eruditorum earundem & originem, & illustrationem refert ad Hebræos. Qua in re nihil planè differunt ab iis qui apud Syros primùm excultas

Margin notes: Pelasgi. — Carbili' Spurius. — Claudi' Centimanus. — Nicostrata siue Carmentis. — Arcades. — Euander. — Rhadamãt'. — Anubis. — Hebræi.

crediderunt: quandoquidem Syri, dicente Eusebio, sunt Hebræi, atque adeò Iudæa Syria est, quæ iuxta Plinij sententiam & Palæstina priùs vocabatur, & Cœle, & Phœnice. Existimarunt autem Eusebius, Eupolemus, & Artabanus Mosem pluribus ante Cadmi tempora annorum spatiis literarũ fuisse authorẽ (vixit enim Cadmus anno à Mose defuncto, septimo supra quadragesimum, hoc est tempore Othoniëlis regis Israël) eásque primùm AEgyptiis contulisse, AEgyptios deinde Phœnicibus, à quibus mox Cadmus sumpsisse à multis creditus est, cùm illum potius eas à Gallis nostris illo tempore quauis doctrina instructissimis traxisse (vt à nobis paulò post ostendetur) veriores perhibeant historiæ. Neque hîc tacendum quemadmodum in bibliotheca Septimana non multis ab hinc annis de literarum auctoribus reperti sunt sequentes versus, quos multæ esse vetustatis arbitrantur, ἀνεγγύστοι καὶ ἀνεπιγράφοι,

Mosem. *Cadmus quo tempore vixerit.*

» *Moses primus Hebraicas exarauit literas.*
» *Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.*
» *Quas Latini scriptitamus dedit Nicostrata.*
» *Abraham Syras, & idem reperit Chaldaicas.*
» *Isis arte non minore protulit AEgyptias.*
» *Gulfia prompsit Getarum quas videmus vltimas.*

Plura id genus commemorare necesse non est. Tot mehercle sunt opiniones, tantáque est inter tot authores dissonantia, vt cuínam potissimum fides adhibenda sit nescias, meritóque possis carmen illud Horatianum obijcere,

» *Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?*

Sed quid illi de priscis Gallis, qui hoc maximè literarum

nomine celebrandi sunt? Vix equidem eos videntur agnoscere. Et cùm ad artium particularium aßignationem deuenitur, non minori ambiguitate nos torquent, quàm quæ olim non nisi acinace Phœbæo dissolui poterant. Nam vbi determinandum est in quo quisque excelluerit, nõ modò illos sibi mutuò quasi vtroque, quod aiunt, cornu opponi videbis, sed ne ipsos quidem sibimet ipsis satis esse cõformes: adeò vt longè satius sit eos de Gallis nihil quicquam attigiße, quàm ita inconstanter suis elucubrationibus meminisse, ne fortè posteros ob illam suam volubilitatem ac portentosa mendacia magis hæsitare faciant, Galliámque ipsam detracta omni opinione literarum nõ modò non illustrent, sed aliquantò reddant suspectiorem.

Quàm varia, atque incerta de artibus omnibus ferantur opiniones: ac primùm de Grãmatica.

Vt igitur per omnes artes sigillatim, breuitérque discurramus, Grammaticam, quam Crates Mallotes, qui à nonnullis Cratetes dicitur, mißus ab Attalo rege sub ipsam Ennij mortem Romanis dedisse fertur, Epicuróne an Platoni feramus acceptam, non satis inter eos constat. Siquidem illius vim primus Plato speculatus est. At Epicurum hanc primùm docuisse author est Hermippus, quemadmodum libro decimo annotauit Laërtius. Archilochus verò in ea epitome quam de temporibus conscripsit, Homerum facit authorem. Hic enim, inquit, Grammaticæ præcepta primus dedit, quum antea quisque sermone scriberet, simul & loqueretur vernaculo. Quæ profectò Italia, quæ & magna Græcia suscepit. Hactenus ille. Hãc se solum inter omnes eruditos callere credidit Rhemnius Palæmon, vir tanta arrogantia, vt M. Varronem porcum ac ineruditum sæpius appellarit, iactaritque secum

Plato.

Epicurus.

Homer⁹ Grãmatices author creditus.

Rhemni⁹ Palæmon.

& natas esse literas, ac deinde secum morituras. Sunt qui
Suetonio fidem malint adhibere, qui scriptũ reliquit Grã- Suetonius.
matices initium tale omnino fuisse quale & Rhetorices:
nempe ex obseruatione eorum quæ in loquendo apta aut
inepta videbantur, homines ea ipsa ad imitandum, vi-
tandúmque notantes hanc artem fecisse, veluti oratoriam.
Quod & Quintiliano minimè improbatur. Rhetorices Authores
verò authorem Diodorus Siculus libro primo fabulosæ Rhetorices.
poëtarum sententiæ conformis Mercuriũ esse scribit, iuxta Mercurius.
illud Horatianum,

" *Mercuri facunde nepos Athlantis,*
" *Qui feros cultus hominum recentum*
" *Voce formasti catus.*

Quanquam idem Diodorus postea libro sexto nequaquã
sibi ipsi constare videtur, quòd asserat Mercurium inter-
pretis nomen assumpsisse (id enim Græca ipsius Mercurij
sonat appellatio, quæ est ἑρμῆς παρὰ τὸ ἐρῶ τὸ λέγω, ἢ παρὰ
τὸ εἴρω τὸ ἀγγέλλω) *non quòd nominum, aut orationis fuerit*
inuentor, sed quia diligentiùs quàm cæteri mandata refe-
rebat: nisi fortè arbitremur Diodorum eo in loco sui ipsius
esse interpretem, aut illum potius, vt assolet, alibi fabulas,
alibi veritatem sequutum. Aliis autem Corax Siculus di- Corax.
citur artem, & præcepta Rhetorices adinuenisse: atque
hoc idem fecisse putatur Ctesias, vel vt nonnulli scribunt, Ctesias.
Thysias: quorum vtrúmque Gorgias Leontinus sequutus Gorgias.
est. Dubium est igitur quorum potissimum opinioni debea-
mus insistere. Nam & Aristoteles primum Empedoclẽ Empedocles.
artis huius inuentorem fuisse dixit, idémque sentire vide-
tur Quintilianus libro tertio institutionum oratoriarum.

postea transtulisse, tribui debeat, an etiam aliis, prorsus incertum est. Arithmeticen autem Herodotus libro secundo, & Strabo libro decimo septimo Geographiæ a Phœnicibus primò inuētam scripsere. Iosephus libro primo antiquitatum ab Hebræis, Græci plerique, & cum his Latini quidam à Pythagora Samio. Quod tamen nequaquam admittit Cicero, qui tantummodo ab eodem Pythagora multum amplificatam fuisse affirmat: quod & postea annotauit Raphaël Volaterranus. Geometriam verò, cui maxima est cum Arithmetica affinitas, idem Iosephus Hebræis quoque tribuit, quemadmodum & ipsam numerandi scientiam. Diodorus tamen AEgyptiis refert acceptam, quod faciunt Strabo & Herodotus. Aliis etiam Theuth vtrámque artem dicitur prior inuexisse, vt à Textore annotatum est in sua Officina. De Astrologia autem, in qua veteres Gallos antequàm de literis quicquam vel in Latio, vel in ipsa certè Græcia audiretur, sub Druidibus, aliísque philosophis excelluisse mox ostendemus, si quæratur, mirandum mehercle quantas de ea introduxerint fabulas: quarum aliæ quidem nemini non commentitiæ totæ apparebunt, aliæ verò quandam tantummodo veritatis præ se ferunt imaginem, ideóque magis periculosæ, quòd multò faciliùs fucum faciant, quàm priores. Videamus ergo quantas hîc mendaciorum nebulas excitauerint. Eam sibi Græci, quemadmodum & reliqua penè omnia, non veriti sunt attribuere: atque huius obseruatores præstantissimos Iapetum, Atlantem, Pherecydem Syrum, Thaletem, Pythagoram, aliósque id genus audacter confecerūt.

Arithmeticē primi Phœnices excogitasse crediti.

Hebræi.

Pythagoras.

Geometriæ quorum inuētū esse credatur.

Aegyptij.

Theuth.

De Astrologia qua veteres Galli claruerunt.

Iapetus

Atlas.

Pherecides.

Thales.

Pythagoras.

Quibus vtique commẽtis fauere nihil dubitauit Plinius libro ſeptimo, cùm ait Atlantẽ Libyæ filiũ Aſtrologiã inueniſſe. Quod & ſuis etiã ſomniis innumerabiles Græcos, Latinóſq; ſcriptores cõfirmaſſe nõ raro legimus, dũ hũc cælũ humeris ſuſtinere fabulãtur: hic enim, inquit Vergilius,

,, *Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.*

Verùm tamen idem Plinius haudquaquam vbique ſui ſimilis eſſe videtur, vt qui paulò antè, nempe libro ſexto Iupiter Bel⁹. *ſcientiam hanc Ioui Belo adſcripſerat. Eius verba ſunt:* ,, *Durat, inquit, adhuc ibi Iouis Beli templum: inuentor* ,, *hic fuit ſyderalis ſcientiæ. Sed nec eodem loco meminiſſe viſus eſt eius quod rurſus paulò ſuperiùs, nimirum libro* Phœnices. *quinto ſcripſerat, vbi de Phœnicibus agens ita dicebat,* ,, *Ipſa gens Phœnicum in gloria magna literarum inuen-* ,, *tionis & ſyderum. Quam poſteriorem opinionem plerique amplexi ſunt. Alij autẽ hanc Aſſyriis, maximéq; ipſi* Chiron Centaurus. *Belo, alij itidem Chironi Centauro ferẽdam putãt acceptam: alij rurſus Ionico cuidam, quem Noachus poſt vniuerſalẽ aquarũ exundationẽ genuiſſe creditur, attribuũt:* Ionicus. *nonnulli etiã Prometheo, vt annotauit Seruius in ſextam Virgilij eclogam, exiſtimántque illum ea ratione Caucaſo alligatum à poëtis fingi, adhibita ſcilicet aquila quæ cor eius aſsiduè depaſceret, quod Aſtrologiam curas, & melancholiæ plurimum ſui ſtudioſis adferentem nunquam non ſcrutaretur ad Caucaſum. Quidam Muſæo, qui in* Muſæ⁹ ſphæra author creditus. *ea tantùm valuiſſe dicitur, vt ſphæram prior adinueniſſe, atque excogitaſſe feratur, quemadmodũ author eſt Diogenes Laërtius. Verùm eam M. Tullius Archimedi Sy-* Archimedes *racuſano adſcribit, qui propterea veluti Deus quidam*

terrenus suo tempore, vt scribunt, fuit habitus. De quo ita scribit Claudianus,

» -Iura poli, inquit, regnúmque Deorum
» Ecce Syracosius transtulit arte senex.
» Percurrit proprium metitus signifer annum,
» Et simulata nouo Cynthia mense redit.

Quibus omnibus planè aduersatur Plinius libro septimo, eandem sphæram Anaximandro Milesio, qui Thaletis fuit auditor, attribuens. Quod & Laërtius etiam vix sibi satis constans, obiter annotauit. Quin & eodem in loco Plinius secum ipse pugnare videtur, quòd hanc postea libro vicesimo Atlanti propriam fecerit, nisi quis fortè dicat illum modò ex sua, modò ex aliorum sententia loquutũ. Anaximander Milesius. Atlas.

, Huc quoque spectat quod ait Diodorus libro quarto: Fe-
» runt, inquit, Atlantem Astrologiæ fuisse peritißimum,
» déque sphæra primùm inter homines disputaße: qua ex re
» visus est cælum suis humeris sustinere, locum præbente
, fabulis sphæræ inuentione. Fabulantur & nescio quid de Endymione, quem ideò à Luna adamatũ, ab eáque in Latmio Cariæ monte sopitum fingi asserunt, quòd Astrologiam, vt rem tempore illo miraculosam, summa scrutatus fuerit diligentia, eiúsque vim & energiam ipsos tandem mortales edocuerit. Longum esset omnia attingere somnia, & figmenta, quæ hìc authores Græci coaceruarunt: qui eò fallaciores, quòd nihil (pauciores quosdam excipio, & eos quidem grauißimos) Gallis nostris ferant acceptum, nihil memoria dignum adscribant. Iosephus ab his longè discrepans, duobus in locis, id est libro primo antiquitatum, & libro primo contra Appionem hoc, quod dicimus Endymion.

Astrononiæ inuentum, Hebræorum esse declarat. Et quod Diodorus, & Herodotus attribuunt AEgyptiis, id minimè negabit Iosephus, si tamen per AEgyptios illos intelligant Hebræos, qui per multa annorum spatia, vt in sacris bibliis cuilibet intuenti conspicuum fieri potest, AEgyptum incoluerunt. Quod & pro illis faceret, qui hāc ipsam artem Mercurio tribuunt, cùm superiùs dictum sit ex quorundam sententia Mercurium illū Mosem fuisse. Iam quot, quámque incertæ de artibus illis, quas liberales appellant, ferantur opiniones satis expressum videtur. Animaduertant igitur prudentissimi quique quanti referat in iis vel describendis, vel diiudicandis recta incedere via. Alioqui enim perpetuò fluctuantes dubitabimus, & feriemus aures non secus ac fluctus litora ferit. Quòd si lubeat per alias etiam scientias singulatim excurrere, non minores vbique pedicas, & labyrinthos comperiemus. Atque vt ad poësim se flectat oratio, de hac magna quæstio est. Quod autem eam sibi audacissimè arrogent Græci, & nostros Bardos, veteres nimirum poëtas, qui non solùm in hac maximè vel ante ipsos Græcos claruerunt, verùm etiam, scribente Beroso illo Chrysoglotto, eiusdem inuentores quemadmodum & Musices fuerunt, silentio prætererant, aut certè si quid meminerint, veluti per trāsennam, & quasi inuiti id faciant, notius est quàm vt vel pluribus recenseri debeat, vel auctorum omnium qui hac de re scripserunt nomina, eorúmque sententiæ hoc loco adducantur. Hoc vnum dicam, quòd celeberrimus inter omnes Græcorum scriptores Pausanias, Olena quandam, poëtam omnium primum, atque antiquissimum videtur

Pœseos, quæ re vera Bardorum Galliæ philosophorū inuentū est, quinā authores crediti.

Pausanias Olena primū omniū Pœtarum esse credidit.

agnoscere. Cui tamen omnino dissidét Iosephus, Eusebius, ac Hieronymus, qui metri cuiúsque rationem Hebræis assignandam autumarunt, quòd Mosem Israëlitici populi imperatorem post maris rubri traiectum constare dicant hexametris carminibus gratias Deo egisse: præterea Dauidem varijs pedum ac metrorum generibus hymnos composuisse, alios quidem trimetros, alios verò diuersi generis. Hac de causa Hieronymus in præfatione Chronicorum Eusebij, huius carmina & poëmata Horatianis comparare, atque etiam Pindaricis nihil dubitat, quòd videlicet nunc iambo currant, nunc alcaico personent, nunc sapphico tumeant, nunc semipede ingrediatur. Idémque subiungit Deuteronomium, Solomonem, librum Iobi, canticum Esaiæ hexametris, & pentametris versibus Hebraïco sermone constare. Grauissima equidem testimonia, quæ, si audienda sint, poesim ab Hebræis primùm cultam fuisse ostendant: quam post multa deinde secula (si verum est quod scripsit Porphyrion) Græcis illustrasse dicitur Orpheus, potius quàm inuenisse, aut si Diodoro Siculo, atque aliis infinitis credamus, Musæ ipsæ. Diodori verba sunt, Musis, inquit, à patre concessa est literarum inuentio, & carminum, quæ poësis appellatur, ratio. Adhæc Heroïcum carmen existimatur primus excogitasse Polymnestus Colophonius, alij verò Phemonöe, quemadmodum meminerunt Pausanias, & Eustathius, & post illos Angelus Politianus. Quod tamen minimè sentire videtur Virgilius, cum ait,

Carmina Calliope libris Heroïca mandat.

Aliis itidem placet hoc genus carminis à Delphicis in

Hexametrū carmē à Mose scriptum, & decantatum.

Dauidis poëmata qualia.

Musæ.

Polymnestius Colophonius.

Phemonoë.

Delphici.

Apollinis honorem post interfectum Pythonem primùm fuisse excogitatum, nōnullis ab ipso Pythio oraculo. Quod & Plinius libro octauo sentit, nec tacuit Pausanias, &
Carminis Lyrici authores. *Plutarchus in moralibus attigit. Versus autem Lyrici rationem inuenisse volunt alij Amphiona Iouis & An-*
Amphion. Arion Methymnaeus. *tiopes, aut, secundum nonnullos, Mercurij, à quo dicitur lyra donatus, filium. Alij Ariona Methymnaeum, patria Lesbium, omnium cytharistarum primum. Alij*
Terpsichore. *Terpsichoren, quae & psalterij existimatur inuentrix. Alij*
Chiron. *Chirona Thessalum, qua ipsum etiam Achillem instru-*
Terpander. *xisse fertur. Alij Terpandrum Antissaeum, qui quatuor lyrae chordis tres alias dicitur addidisse (tametsi Plinius de septima tantùm affirmet) quíque lyrici carminis*
Philemon. *leges prior dedisse putatur: quas tamen Philemoni ad-*
Comaediae authores. *scribunt plerique, vt author est Suidas. De Comaedia primùm introducta, tam incertae sunt Graecis opiniones, vt dubium planè sit, inquit Donatus, quis eam inuenerit.*
Dorienses. *Dorienses enim modò hanc sibi vendicare audent, quem-*
Megarenses. *admodum & Tragaediam, modò Megarenses, modò &*
Aristophanes. *alij. Praecipui tamen authores passim celebrantur Ari-*
Eupolis. *stophanes, Eupolis, & Cratinus. Quod sentire videtur*
Cratinus. *Flaccus lib. primo sermonum cum ait,*

» *Eupolis, atque Cratinus, Aristophanésque poëtae,*
» *Atque alij quorum Comaedia prisca virorum est.*

Tragaedia scriptores qui primi crediti. *Tragaediam verò, authore Fabio, primus in lucem protulit AEschylus, sed longè clariùs illustrarunt Sophocles,*
Aeschylus. Sophocles. *atque Euripides. Ab alijs inuentor existimatur Thespis.*
Euripides. *A quo non abludens Horatius in Arte poetica,*
Thespis. » *Ignotum (inquit) Tragicae genus inuenisse Camaenae*

» *Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis.*
Sed Aristoteli Tragœdiam Thespis inducto histrione, Aeschylus Pythagorica disciplina imbutus addita altera persona, & accedente his tertia Sophocles compleuerunt. Hymnos verò illos, quos vocamus dithyrambos, itémque cycliodidascalos, & cleticos, & apopempticos, & mythicos, & genealogicos, & eucticos, & apeucticos, & fictos, aliorúmque generum, an Dithyrambi Thebani, an Arionis inuentum, vt vulgus Grammaticorum confirmat, credas, planè incertum est. Bucolicũ carmen plerique Daphnidi pastori nos debere existimarunt, alij Bucolio Laomedontis filio natu maiori, alij aliis. Carminis quoque Iambici quidam Iambum eius nominis poëtã authorem faciunt, quidam Archilochum. Rectiùs fortasse Fabius Quintilianus, si res iusto libretur pondere, quàm
» *illi omnes: Poëma, inquit, nemo dubitarit perito quodam*
» *initio fusum, & aurium mensura, & similiter decur-*
» *rentium spatiorum obseruatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Est & quoddam orationis genus, quod in dialogos distribuitur: quorum inuentor & celebrator à nonnullis Alexamenes, ab aliis Zeno Eleates, & ab aliis alij crediti sunt. Hos quidẽ primus introduxit Plato, si Laërtio credamus, at si Aristoteli, Alexameni Scyreo, vel Teio attribuendum erit hoc inuentum. Historiam prætereà, qua nihil aut præstantius, aut optabilibus mortalibus concedi potuit, Cadmus Milesius, teste Plinio libro septimo, primus dedisse credendus erit, dicente verò Apuleio, Pherecydes. A quibus penitus dissentiunt Iosephus, qui Hebræis aßignat, & Eusebius, qui Mosi.*

Aristotel. in Poëtica. *Dithyramb⁹.* *Arion.* *Daphnis.* *Bucolius.* *Iambus.* *Archiloch⁹.* *Dialogi.* *Alexamenes.* *Zeno Eleates* *Historiã quis primus dedisse putetur.* *Cadmus Milesius.* *Pherecydes.* *Moses, siue Hebræi.*

Medicinæ authores quinã crediti. Medicinam autem, quæ proculdubio à cælestibus ad vsum mortalium demissa fuit, credidere veteres ab Api AEgyptiorum rege repertam, quam & alij, scribente Diodoro, Mercurium apud AEgyptios inuenisse contendunt. Alij Chironi Centauro adscribunt, qui fuerat Saturni ex Phyllira filius, alij ipsi Phyllira, alij Samothracũ filius, authore Eusebio, alij Apollinis filio AEsculapio, alij eius filiis Podalyrio & Machaoni, qui Agamẽnonem ad bellum Troianum sequuti fuerant, alij verò ipsi Apollini, qui apud Ouidium ita loquens inducitur,

Apis. Mercurius. Chiron. Phyllira. Samothracũ filij. AEsculapi⁹. Podalyri⁹ & Machaon. Apollo.

Inuentum Medicina meum est, opiféxque per orbem
» Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

» En quæ hîc confusio, & quanta opinionũ varietas. Longè meliùs, meo iudicio, Quintilianus & Cornelius Celsus, qui existimarunt homines primùm ex rerum multarum obseruatione ea quæ salubria, aut insalubria viderẽtur notasse, atque inde huiusmodi artem corpora curandi gratia confecisse. Singula, quæ de huiusmodi repugnantiis occurrunt persequi, ac discutere si vellem, tam multa sese offerrent, vt nec Chrysippi, nec Didymi voluminibus, quod dici solet, comprehendi possent. Hoc igitur tantùm addam, politicam viuendi rationem, qua tantopere priscis illis seculis condecorata fuit Gallia nostra, nimiùm callidè atque interdũ malitiose ab auctoribus multis, quẽadmodum & multas alias artes ac disciplinas dissimulari, tacitóque silentio præteriri. Nam bonas leges, quibus hominum mores componerentur, & quæ modò improbos afficerent supplicio, modò bonos tuerentur, ac fouerent, Cererem Saturni & Opis filiam mortalibus omniũ primam

Nomotheta. Ceres.

dedisse testes testes sunt Plinius libro septimo, Diodorus libro sexto, Vergilius quarto AEneidos, Ouidius quinto Metamorphoseos, Herodotus libro sexto, aliique propemodum innumerabiles Græci atque Latini. Hinc θεσμοφόρος, hoc est legum latrix à Græcis appellata est. Has alij non vni nomothetæ, sed pluribus tribuendas cēsent, voluntque Mosem Iudaïci populi ducem suis Hebræis leges dedisse, Rhadamanthum Iouis ex Europa filiū Lyciis, Androdamum Rheginum Chalcidensibus Thraciæ populis, Phidonem Corinthiis, Zamolsin Zetis, Hippodamum Milesiis, Phaleam Chartaginensibus, Philolaū Corinthium ex Bacchiadum familia Thebanis, Indis Gymnosophistas, Babyloniis Chaldæos, Persis Magos, Siculis Cererem, Bocchorum Dynasten nonnullis Aegypti populis, Minoëm Cretensibus, Draconem & Solonem Atheniensibus, Mercurium (illum scilicet quem quintum numero faciunt) AEgyptiis, Lacedæmoniis Lycurgum, Charondam cognomento Thurium, patria Cataneum Tyriis, Phoroneum Inachi filium Argiuis, Romulum & Numam Pompilium Romanis, Pythagoram quibusdam Italiæ populis, & magnæ Græciæ, Apollinem quartum Arcadibus, Zaleucum Locrensibus, Liberum patrem quibusdā Indiæ populis. Demiror verò cur in illa sua enumeratione non addiderūt Druidas Gallis. Etenim clarissimis virorum magnorum testimoniis perspicuum est à Druidibus, atque etiam à Samotheis summis philosophis (qui antè quàm de Græcia quicquam admiratione dignum audiretur, literas & sapientiam in Gallia professi sunt) Gallos suas accepisse leges: nec solummodo leges,

Varij legum latores.

Samothes ſiue Dis, prim' Gallorũ rex, varia ab authoribus Græcis cognomina ſortit' eſt.

vèrùm etiam cuiuſque generis diſciplinam. Sed quia à nobis de Samotheis ipſis, déque ſagaciſſimo illo Samothe Gallorum patre, & literarum propagatore (quem Græci fabulatores nunc Ditem, nunc Summanum, nunc Orcum, nunc Plutonem, nunc aliis nominibus appellant) locupletiùs ſequenti libro dicetur: itémque de Sarone, Dryo, ſiue Druide, & Bardo, ſimúlque de eorum, qui ab ipſis orti ſunt, philoſophorum ſectis, nihil de his hoc loco attingemus. Oſtendiſſe ſufficiat in quot, quantáque portenta incurrerint tot ſcriptores, vbi in qua arte, quibúſve literis quique vel homines, vel nationes maximè claruerint, falſa quadam perſuaſione, atque interdum malitia ducti determinare voluerunt. Qui quum quandam veluti literarum ἀϊδιότητα conſtituere debuiſſent, & Gallos merita laude, (quòd in eis & priores excelluerint, & ἀνειλήφοντες γραμματίδιων, vt Græcè dicam, fuerint, quemadmodum mox dicetur) haudquaquam defraudare, eas faciunt quaſi heri aut hodie natas, vixque Galliam eis vnquam ſacra feciſſe agnoſcunt. Quorum vtrunque vt indigniſſimum eſt, ita & ab omnium memoria atque animo, quoad fieri poteſt, tollendum. Sed quod ad primum attinet, quum nullum donum literis ac diſciplinis maius, præſtantius, magíſque neceſſarium, & ſine quo meras omnia tenebras, omnia noctem, omnia cæcam eſſe caliginem, ignorantiámque neceſſe ſit, è cœlo hominibus immiti queat: credendum non eſt primos homines vllo pacto hoc fuiſſe beneficio deſtitutos, quippe quorum creatio fuerit perfectiſſima, nec ea ſuam ſortiri potuiſſe perfectionem videatur, ſi tanto munere fuiſſe deſtitutam admittamus. Quare

omissis omnibus omnium fabulis discamus, ac teneamus multò priores fuisse optimas quásque artes, quàm ab huiusmodi Graculis AEsopicis fuerit traditũ. Constat quippe Plinij, Melæ, Herodoti, aliorúmque non paucorum testimoniis, Phœnicum literas aut æternas fuisse, aut certè tam antiquas, vt earũ proculdubio origines sint omnium literarum memoriã supergressæ. Hac de causa cum Annio & Postello liberè asseueramus à Phœnicia, siue terra sancta (ex qua primogenitores nostros oriundos esse negare non possumus) in Galliam nostram primitus allatas, eásque deinde à nostris quemadmodum fusius posteà commonstrabitur, in Græciæ plagas, vbi ea coli cœpisset, paulatim, variísque euentibus translatas. Quamuis igitur Philo Iudæus maximæ apud Hebræos authoritatis literas istis aliis lõgè faciat antiquiores, vt quas ab Abrahamo primùm repertas velit, nos tamen eas intrepidè pronuntiemus iam anteà in Noacho, eiúsque filiis fuisse, imò & ante diluuium etiam ab Adamo incœpisse, sed deinde inundante ac submergente omnia diluuio, conseruatas à Noacho, eiúsque posteris, & à patre nostro Samothe ad Abrahami vsque tempora, indéque ad Mosem vsque, quemadmodum scitè annotauit Aurelius Augustinus libro decimo octauo de ciuitate dei, conformis nimirum Iosepho, qui libro primo antiquitatum scribit filios Sethi duas extruxisse columnas, alteram lapideam, alterámque lateritiam, in quibus artes omnes inscriptas posteris reliquerant: idémque affirmat se earum alteram in Syria vidisse. Accedit his quòd Iudas in epistola Canonica Enochi librum citat, qui fuit ante diluuium. Ex quibus

Literas aut æternas esse, aut certè admodum antiquas.

Sethi filiorũ columnę multis artibus, ac literis inscriptæ.

omnibus, multíſque aliis argumentis, atque indiciis colligi poteſt literas illo ipſo tempore, id eſt ante magnã illam terræ ab immodicis imbribus inundationẽ, extitiſſe. Præterea licet Plinius libro ſeptimo ſe arbitrari dicat literas ſemper fuiſſe Aſſyrias, poſtea tamen minimè negat æternum fuiſſe earum vſum. Nos certè in Gallia, ne quid commenti videamur intexere, æternas non facimus, vt qui à Dite Nochi nepote Celtarum parente cæpiſſe ingenuè fateamur. Qui, vt probè Achilles Gaſſarus, aliíque ſupputant, in Gallia ſceptrum tenuit anno à mundi creatione centeſimo primo ſupra ter milleſimum, nimirum paulò poſt vniuerſalem illam aquarum exundationem. Quemadmodum autem ab eo in Celtis literæ Græcæ initium habuerint, itémque quemadmodum philoſophiam rudibus adhuc hominum mentibus impreſſerit, primúſque tradiderit, copioſiùs ſequenti libro explicabitur. Ibi enim de quatuor ſummis philoſophorum generibus, qui in Gallia noſtra ſucceſsiuè regnarunt ac floruerunt, fuſiùs pro rei

Vetuſtiſsimi Gallorũ philoſophi.

neceſsitate agetur. Quorum priores quidem fuere Samothei illi ἀνδλήζοντες γραμματίδιον, *alteri Saronidæ, hos deinde ordine ſucceſsionis ſequuti ſunt Druides, poſteriores Bardi. Ab his omnibus non minor morum probitas quàm doctrina Gallorum animis inſculpta eſt, vt non immeritò & morum, & diſciplinarum fons vberrimus, ac celebre veluti emporiũ ſolum noſtrum Gallicum illo tẽpore fuerit appellandũ. Itaque ridendi Græci, & ſi qui alij* φιλέλληνες *plus quàm par ſit illis ſuffragentur, imò & culpandi quòd adeò nobis inuidiſſe videantur, vt quicquid in bonis diſciplinis noſtri olim promouerũt, id omne modò ſuis ipſorũ,*

modò etiam aliorum quorundam inuentis attribuere solеant. Quid enim habita cum nostris collatione, & re verè atque ad amußim examinata, erunt aliorum penè omnium, ne dicam Græcorum inuenta, nisi minuta quædam & pusilla, quæ casu nescio quo magis quàm ratione coaluisse iure existimes? Vt interim non abs re liceat in iis poëtica illa vti sententia, τύχη τέχνην ἔτικτεν. At verò quæ à nostris comperta sunt & tradita, atque aliis etiam externis communicata, certißima propter illam vnde fluxerunt originem, fuisse dubitandum non est. Nam quòd se Græci à suo Cadmo literas accepisse gloriose prædicant, existimantes suæ se doctrinæ antiquitatem hoc modo adstructuros, nimium profectò inanis friuoláque est gloriosa illa prædicatio, cùm isthuc tam incertum sit quàm recens, & nullius ferè antiquitatis, si cum prisca nostrorũ eruditione, & celebrata ab eis philosophia conferas. Propterea rectè Cyrillus libro aduersus Iulianum primo eos literas tardiùs accepisse commonuit. Quid, quod Iosephus eiusdem quoque sententiæ ex publica fide sacerdotum, & bibliothecarum probat hos nequaquam à Cadmo (quod & Archilochus & Xenophon asserunt, literas à Gallis primùm emanasse ostendentes) quasi primo inuentore, literarum munus habuisse, quòd nulla certa, & publica fide, sed priuata posteráque opinione id dicant. Sic enim aduersus Appionẽ Grammaticum arguit, Græci, inquit, gloriãtur se à Cadmo habuisse literas, cuius tamen rei vestigium non poßũt ostendere, aut in Chartophylaciis sacerdotum, aut publicis armamẽtariis, & bibliothecis: atque alia id genus, quæ ille contra eos adducit. Iam verò quòd Romani omnium

Quòd literas Græci multò tardius acceperint quàm Galli.

ferè aliorum tardiſsimè literas ſuſceperint, cùm multis rationibus, tum ex eo maximè conſtat, quod nihil omnino ſiue de legibus duodecim tabularum, ſiue de poëtica (quàm ingenuè Cicero primo Tuſculanarum quæſtionum ſeriùs ad Romanos perueniſſe fatetur) ſiue de philoſophia (quam idem ex Athenienſium ſolo dimanaſſe exiſtimauit) ſiue de aliis quibuſque ingenuis artibus loquamur, habeant, quod ſe à Græcis accepiſſe vel vltrò non concedant. Et ſi quid eſt quod ſuis ipſorum inuentis attribuant, id tam puſillum eſt, vt tabulis cedrinis inſculpi non mereatur. Porrò quemadmodum hi in erigenda illa ſua doctrinæ ſupellectile à noſtris hominibus plurimùm adiuti fuerint, itémque quot & quantis in palæſtra literaria ſtadiis à nobis ſuperentur, denique quàm falſo, quámque iniquiſsimè neſcio qui recentiores barbariei notam nobis inurant, pluribus paulò poſt explicabitur. Cæterum hanc ipſam, quam nunc pertractare inſtituimus, hypotheſin ita per ſe & grauem, & dignam eſſe reor, vt neminem prorſus niſi alioqui multùm offenſatorem, planéque ἀνεξέταστον mihi nõ æquum, non facilem, non exorabilem futurum, atque id quidem abſque vlla cõmendatitia verborum ſerie, perſuaſiſsimum habeam: ac proinde nullum mihi ſupereſſe negotium, vt deſtinato quaſi ſtudio atque opera cæterorum animos mihi ea in re conciliandos curem. Iam itaque, vt cum Homero dicam,

ἄλλό γε τι ἐρέω, σὺ δ᾽ ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.

IOANNIS PICARDI TOVTRERIANI DE PRISCA CELTOpædia liber Secundus.

TANTA priscis temporibus Gallorum fuit in literis & præstantia, & æstimatio, támque insignis meliorum artium, atque disciplinarum peritia, vt illi iam extra totius doctrinæ aleam positi, propter opulentam illam sapiẽtiæ suæ, literarúmque supellectilem, atque admirabilitatẽ, facilè vel eminentißimum vbique locum cæteris procul à se relictis, obtinerent. Sed cùm eos progressus in ipso disciplinarum curriculo fecissent, vt nihil esset quod in eis præterea desyderasses, necesse tandem fuit illis idem accidere quod principatibus, quod imperiis, quod monarchiis, quod & omnibus nostri huius hemisphærij rebus: quarũ ea est fatalis veluti cõditio, vt postquã gradatim ad rei alicuius colophonẽ, aut ad dignitatis suæ encyclopædiã peruenerint, postea mutatis rerũ vicibus interdũ quidẽ sensim, interdum verò præcipiti ac repẽtino casu deorsum ferantur, cùm nihil sit sub cœlo Lunæ, cuius eadẽ semper esse poßit κατάστασις. Et quia quò maius ac perfectius res quælibet sortita est incrementum, eò grauior est qui indè lapsus consequitur, fit profectò vt mirum videri non debeat si Gallorum literæ, quæ ad tantam ascenderant perfectionẽ,

vt vix quicquam inueniri potuisset vel exactius, vel absolutius, grauissimam deinde ruinam passæ sint. Huiusmodi autem ruinæ magnitudo cùm non ad multos dixerim annos, sed ad multa postea secula perdurasset, ita temporis progressu Gallicæ literaturæ captum erat inter homines pedetentim obliuisci, vt nisi paucis ab hinc annis ea ipsa quasi iure postliminij ad suos rediisset, séque primigeniam Celticæ gentis filiam re ipsa declarasset, metuendũ nobis fuerat ne tandem occupantibus omnia tenebris liberiùs deblaterassent hostes, multóque audaciùs in nos insultassent quotquot videmus hodie Gallici nominis ac fœlicitatis osores, quando videlicet obseruassent nos literarum beneficio planè destitutos ipsis esse Bœotis inelegantiores, nec à truncis, aut stipitibus magna in re differentes. Cùm enim illi calumniandi, & barbariem obijciendi ex hoc præcipuam sumpserint occasionem, quòd animaduerterent iam à multis annis meliores disciplinas à Gallis paulò segniùs, ac frigidiùs attrectari, quid facerẽt quæso, si nunc literas in eis prorsus extinctas conspicerent? Annon vel ad rauim vsque debaccharentur. Annon longè turpiores infamiæ notas nobis inurerent? Quid porrò illorum fronti atque insolentiæ opponeremus, quoties barbariem nobis obiicerent, & feritatem? Quomodo Græcorum occurreremus vanitati? Quo mucrone recentiorum quorundam externorum arrogantiam, & obtrectationem confoderemus? At nunc cùm iam superis bene fauentibus, & secũda magis aura respirãte apud nos reuiuiscant optimæ quæque artes, cùm etiam tot extent Gallicæ dignitatis propugnatores, nihil est quòd ampliùs istorum nugiuen-

dulorum (vt eos Plautino vocabulo sic appellem) nasum reformidemus. Quorum linguæ petulantiam etiam si nemo possit coërcere, monendi tamen sunt, vt si sibi bene consultum velint, abiecta omni maleuolentia Gallum deinceps mirentur, ac suspiciant: simúlque discant de ipsis honorificè sentire, à quibus olim multa hauserunt & doctrinæ, & bellicæ laudis ac fortitudinis ornamenta. Longè certè æquiores, nedum tolerabiliores ipsi Latini, qui aut de Gallis nihil dixerunt, aut si quid dixerint, id semper non absque magni honoris titulo dictum reperias. Eorum quippe virtutem, constantiam, & grauitatem non poterant non admirari, maximéque approbare: tantùm abest vt conuitiis lacesserent, & probrosas effunderent criminationes. Vt enim pleraque cùm T. Liuij, tum aliorum testimonia consultò hîc prætermittam, nónne ipse eloquētiæ parens M. Tullius locupletissimus, ac certissimus eorum, quæ suo tempore fiebant, testis, eosdem multis honorum cumulis est prosequutus? Scribit enim in tertia

» Philippica ad hunc modum: Nec verò, inquit, de vir- *Ciceronis & Gallis testimonium.*
» tute, constantia, grauitate prouinciæ Gallicæ taceri po-
» test. Est enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperij
» Romani, illud ornamentum dignitatis. At isti nescio qui

AEsopici Graculi, Latinorum scilicet filij, imò, vt verius dicam, Gothicæ, & Vuandalicæ gentis reliquiæ, modestiæ nescij atque pudoris, non verentur improbo, petulantique maledicto Gallici nominis splendorem impetere: &, quod ait ille,

» In toto iactant verba canina foro.

Si quando enim de Gallis apud eos incidat mentio, nihil

ferè audis quàm illos esse pinguiculos ac distentos ventres, malè moratos, inurbanos, sordidos, leues, denique & barbaros: contrà verò se & bene natos, & eos verè dici qui acetum habeant in pectore, postremò legitimos esse Latinorum filios: cum tamen Gothos, Vuandalos, Burgundiones, Hunnos, Longobardos, & alios extranearum regionum populos ipsorum fuisse progenitores nullo negotio à quouis vel mediocriter in historiarum lectionibus versato posit intelligi. Tolerabiliores aliquantò & ipsi Græci, è quibus licet nonnulli, aut ferè omnes veritatem nescio quibus mendaciis inuolutam obscurarint, & præclara omnium aliorum facta suis semper attribuere soliti sint, nunquam tamen Gallorum nomen ita vellicant, vt in eorum famam vllis incursent maledictis. Quapropter in hos vnica nobis acies struenda foret: at verò in illos gemina. Horum sufficiet vanitatem coarguere, necnon indicasse quantùm aberrent à veritatis orbita, dum id sibi licenter, nimiúmque liberè arrogant, quod arrogare non debent, nec ipsa literarum τὰ προϋφεστηκότα Gallus nostris, à quibus primùm fuerunt edocti, accepta referunt. Illorum autem partim reuellenda erunt mendacia, partim etiam retundenda supercilia, quibus impudenter nobis calumnias intendunt. Sed quia minor erit difficultas in Italis illis, qui non ita pridem in nos debacchati sunt, refutãdis, quòd parum firmis rationibus aut præsidiis innitantur, veniamus nunc ad Græcos, atque ostendamus primùm philosophiam cuius sese principes faciunt & iactant, deinde & ipsas literas Græcas priùs in Gallia extitisse, eásque postea in Græciam translatas. Quo quidem in loco præ-

monitum quemque velim, me non ita in Graecos agere, quasi sim debitam illis laudem, & gloriam precepturus. Quis enim nescit eos doctrina, eloquentiaque tantùm valuisse, vt omnes, qui aliis postea claruerunt seculis, meruerint habere laudatores? Nam, vt alia omittam, philosophia ipsa omnium scientiarum parens, domina, ac regina nunquam ex alia quauis natione tantum habuit adiumenti, quantum à Graecis. Tantùm enim abest vt caeteri quicquam contulerint, vt etiam si qui externi eius aliquando studio incensi fuerint, ad ipsos Graecorum fontes sese receperint: atque eorundem plerique siquid eximium de philosophia posteris relinquere voluerint, id non sua magis quàm Graeca lingua praestare dignum iudicarint. Atque illud est quod de Graecis profero elogium. Simile quid de Latinis etiam pronuntio, quos πολυμάθεις quoque ingenuè affirmo, ne quis me & his detrahere arbitretur. Mihi etenim odiosum semper fuit genus illud hominum, qui prius habent χαριγλώττειν, quàm vera loqui, qui totam gloriae partem ad se ipsos transferentes, caeteris alioqui bene meritis nihil reliquum faciunt, quique veluti laudum alienarum, aut etiam suorum mercede conducti buccinatores dum famae vnius consulere volunt, alterius deturpant, dum hunc praeter meritum in sublime ferunt, illum nimium impudenter vel ad ima vsque, si possint, deprimunt. Ego certè de Graecis, qui nunc nobis in disputationem venerunt, ita sentio, illos etiamsi leuitatis nomine suspectos, attamen optimarum quarúmque artium numeros omnes exactissimè, atque foelicissimè absoluisse, Rhetorum abundasse flosculus, subtilissimas omnes Dialecticorum argutias te-

Quantum doctrina valuerint Graeci, atque etiam Latini.

nuisse, omnia Physices reconditiora arcana magno studio peruestigasse, Theologorum abdita quædam penetrasse, in Mathematicis quoque fuisse exercitatissimos, denique & omnes omnium fabulas miro studio semper obseruasse. Sed tamen eos vicissim pudere non debet (neque enim id multùm laudibus ipsorum derogaret, nisi fortè ea quæ semel professi sunt, more suo constantiæ causa defendenda existiment) ingenuè fateri ipsa literarum primordia fluxisse à Celtis. Enimuero (vt res aliquando certiori probatione elucescat) præter Druidas, à quibus plurimùm celebrata fuit in Celtis philosophia sub Dryio quarto eorum rege, qui scribẽte Beroso sacerdote Chaldæo, peritiæ plenus regnauit anno post Noachi diluuium centesimo & decimo, cùm nimirum nihil quicquam de Græcia, quæ per id tẽporis inculta erat, adhuc audiretur, constat multos alios iam antea in Gallico solo regnasse ac floruisse philosophos. Cuiusmodi fuerunt Saronidæ illi, quorum meminit Diodorus Siculus libro sexto, à Sarone suo ita nũcupati. Fuerat hic Gallorũ rex ordine tertius: sic dictus ἀπὸ τοῦ σαρεῖν, quod ornare atque decorare significat. Neque ea quidem inepta nominis etymologia. Si enim respublicas ab eis hodie ornari censemus & cohonestari, qui eas melioribus augent artibus ac disciplinis, nónne hoc nomine præ cæteris regibus, quos vnquam inclytis veterum annalibus proditos legimus, bene audiet ipse Saro, magnúmque suæ Galliæ & decus, & ornamentum attulisse censebitur, qui quandiu vixit, totus in hoc fuit vt bonas in ea literas propagaret, & optimis ac præclaris morum institutis eorum qui paulò rudiores adhuc viderentur

Saronidæ antiquissimi Gallorũ philosophi.

animos componeret? Sentiebat nimirum multò pulchrius atque difficilius esse parta semel imperia præclaris legibus sanctisque moribus exornare ac retinere, quàm armis regno regnum addere. Multum habet momenti principis integritas cum sapientiæ studio coniuncta, sed multò plus ciuium recta institutio. Ille itaque noster, in quo nihil quicquam horum desyderabatur, vt subditos sibi populos rectis morum institutis cõpositos haberet, cœpit regnum suum quamuis literarum beneficio minimè quidem destitutum (nam Samothes ante id temporis philosophari iam docuerat) in meliorem tamen formam redigere. Quod vt faceret meliùs, primùm occœpit Academias, quas vulgò Vniuersitates appellant, quouis doctrinæ genere refertas erigere, & instituere. Qui verò in iisdem literas profitebantur, Saronidas appellauit posteritas. Hi præter alias artes, quarum cultores erant diligentissimi, & præter ipsam, qua suos instruebant, philosophiam, erant etiam rei theologicæ deditissimi. Et ne quis me ista comminisci, aut quasi ex cribro, quod aiunt, diuinare putet, audiat hisce de rebus inter cæteros Diodorũ. Cuius
» *verba libro sexto sic habent, Sunt, inquit, apud Celtas*
» *theologi & philosophi quos vocant Saronidas, qui præci-*
» *puè ab eis coluntur: nam moris est apud eos nullum abs-*
» *que philosopho sacrificium facere. Existimant enim per*
» *diuinæ naturæ conscios sacra fieri oportere, tanquã Diis*
» *propinquiores. Horum intercessione bona à Diis censent*
» *petenda, quorũ consilio & bello & pace fruuntur. Hactenus ille. Nec silendum quod Berosus ille Chaldæus ab Atheniensibus χρυσόγλωττος factus, omnibus aliis scripto-*

ribus (vnico Mose excepto) vt ætate superior (fuit enim ante tempora Alexandri magni) authoritatéque maior (fuit siquidem in ordinem sacerdotalem cooptatus) atque etiam historia amplior, sic & reliquis longè dignior, cui adhibeatur fides, cùm de regibus Aßyriorũ loquitur, hunc
„ *in modum scribit: His, inquit, temporibus regnauit apud*
„ *Celtas Saro, qui vt contineret ferociam hominum tum*
„ *recentum, publica literarum studia instituit. Ex quibus verbis colligendum non est ante ipsius Saronis ætatem literas, itémque theologiæ, atque philosophiæ cultum in Gallia non fuisse: nam paulò pòst demonstrabitur iam antea extitisse Samotheos, ætate aliquantò superiores. Verùm id intelligendum ita est, nulla adhuc, vt Berosus notat, gymnasia fuisse publica, in quibus posset dura hominum ceruix mitigari, & vndè bonæ artes ac literæ desumi possent, veráque animi medicina (sic enim alicubi philosophiam appellat Cicero) peteretur. Nam ad quæ certiora te remedia poteris recipere, quoties malè habet animus? Nec enim fieri posse reor vt sine philosophia animo valeant homines: quod videlicet hæc quasi Deorum (vt inquit Plato) inuentũ nos primùm ad numinis cultum, deinde ad modestiam, magnitudinémque animi erudiat, eadémque ab animo tanquam ab oculis caliginẽ dispellat, vt omnia supera, infera, prima, vltima, media videamus. Quid, quod virtutes ipsa continet, & officij benéque viuendi disciplinam in se habet, & radicem omnium malorum stirpitus extrahit. Quam qui Saronidarum atque Samotheorum nostrorum more profitetur, videtur grauißimam, quod Tullius ait, sustinere personã.*

Vitiorum, peccatorúmque nostrorũ omnis à philosophia petenda est medicina. lib. 5. quæstionũ Tusc.

Adeò nimirum digna est, efficax, fructuosa, frugifera. Cuius maximam vim & energiam eleganter his verbis expreßit Flaccus,

„ Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te
„ Ter purè lecto poterunt recreare libello.
„ Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
„ Nemo adeò ferus est, vt non mitescere poßit,
„ Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Isthæc quum Saronem absolutißimum virtutis ac eruditionis exemplar, dignúmque qui sapientiæ nomine epulis diuûm accumbat, minimè laterent, tantam philosophiæ cultui dedit operam, adeóque clara stemmata & monimenta suis reliquit posteris, vt æternæ hominum memoriæ sit commendatus, sibíque vicißim monimentum ære perẽnius extruxerit. Hæc de Sarone, eiúsque philosophis nos breuiter attigisse sufficiat. Iam ad Samotheos; qui hos præceßerunt, famæ celebritate conspicuos accedemus, si antè paucula quædam de Mago huius patre, vel, vt alij sentiunt, auo adducantur. Erat ille Magus Saturni Samothis filius. Regnauit in Gallia anno trecentesimo post maximum illum Nochi diluuium, octauo verò post Abrahamum natũ, itémque ante Christum decimo septimo supra bis millesimum. Cæterùm quot ille annis regni sceptrum tenuerit, quia nec à Beroso, nec ab aliis quicquã determinatum video, nihil hîc definiam, præsertim cùm istuc scire non magni intersit, nec ad præsentem locum faciat, pluribúsne an paucioribus regnauerit annis. Summa hic fuit eruditione præstans, & ædificandi peritia, quam architecturam vocamus, cum primis insignis. Vnde

Samothei primi Gallorum philosophi, qui paulò pòst Nochi diluuiũ floruerunt.

Magus Gallorũ rex Architecturæ scientia insignis

etiam apud doctos cõtrouersia est an huiusmodi appellationem ex idiomate Scythico sortitus fuerit, an Persico, an verò Græco. Siquidem vox illa Scythis ædificatorem sonat, Persis sapientem, Græcis verò (quemadmodũ annotauit Cælius libro quinto, cap. quadragesimo secundo) rerum diuinarum interpretem, & recõditißima quæque diuinorum operum exactißimè speculantem, promentémque illa in actũ, sciẽtiæ angustioris profunditate. Porrò hic noster, Galliam recentis adhuc diluuij incommodis vexatam & dignitate auxit, & domorum, villarum, atque ciuitatum constructione multum amplificauit. Nam eo tempore homines ob ædificiorum penuriam, & raritatẽ passim degebant sub arboribus, ibíque philosophabãtur, quos sapientiæ studium capiebat. De hoc ita scribit Berosus,

Magus quid sonet.

» *Nini quinquagesimo primo anno apud Celtas regnauit*
» *Samothis filius Magus, à quo illis oppida plura posita sunt. Hoc autem loco memoratu simul ac notatu dignissimum, Gallos in huius principis sui memoriam, vel etiã idiomate ipsorum casu quodam ita perseuerante, nescio quo pacto hoc nomen pro domo atque ædificio perpetuò retinuisse. Adhuc enim variatis paucis literis ex Mago (quæ etiam vox olim domum significauit, vt annotatum est ab Ioanne à Viterbo) remansit* maison Gallicè, *licet ad vocabuli etymon multò propiùs accedant quidã Burgundiæ populi, à quibus profertur* magion. *Multa præterea oppida peruetusta paßim & in Gallia Narbonensi, atque Lugdunensi, itidem in Belgis, & Aquitania cõmemorant Ptolemæus, aliique Cosmographi, quæ procul dubio ab hoc nomine Mago denominationem sumpserũt:*

vt sunt Iuliomagum, quasi Iulij domus ac ædificium, Cæsaromagum Cæsaris, Nouiomagum Nouij: & Neomagum, quasi noua domus. Sic Rhotomagum, Breuomagum, Maguntia, Berbetomagum, Vindomagum, Belgitomagum, & alia id genus. Hæc de mago secundo Galliæ rege obiter dicta sint: quæ non omnino ἀπροσδιόνυσα illis videbuntur, quibus cordi fuerint præclara veterum Gallorum μνήματα. Iam vt de Samotheis pertractemus Samothei. *locus postulat. In his autem depingendis, eximiáque eorum doctrina commemoranda latissimum adeò campum patere video, vt vndénã ducenda sit exordiendi ratio, anceps cogitem. Tot enim extant præclara eorum ἀνδραγαθήματα, vt nemo illis satis idoneus scriptor mihi videatur. Horum literis, & sapientiæ qui aduersatus fuerit, nullus vnquam eorũ qui inter optimos authores connumerandi sunt, inuentus est: sed è diuerso eorum eruditionem omnes communi consensu admirantur, ac suspiciunt. Quod fecerunt Aristoteles in Magico, Sotion in decimo tertio successionis libro, Iulius Cæsar in Commentariis, vbi per Ditem Gallorum patrem nihil aliud quam hũc nostrum Samothem innuit, Berosus Chaldæus libro quinto de antiquitatibus Babyloniæ, qui Defloratio inscribitur, itémque libro secundo de Genealogiis primorum ducum post diluuiũ, Annius Viterbẽsis pluribus locis, Diogenes Laërtius lib. primo de vita philosophorũ, & alij nonpauci. Sed vt iã de Samothe aliquid adferamus, hunc alij Semnothẽ potius, non absque graui ratione volũt fuisse appellatum:* Cur Semnothes, & Semnothei dicti. *indéque Semnotheos potius q̃ Samotheos dicẽdos existimant, quòd id genus philosophi religioni, ac deorũ cultui*

vt vix quicquam inueniri potuisset vel exactius, vel absolutius, grauissimam deinde ruinam passæ sint. Huiusmodi autem ruinæ magnitudo cùm non ad multos dixerim annos, sed ad multa postea secula perdurasset, ita temporis progressu Gallicæ literaturæ captum erat inter homines pedetentim obliuisci, vt nisi paucis ab hinc annis ea ipsa quasi iure postliminij ad suos rediisset, séque primigeniam Celticæ gentis filiam re ipsa declarasset, metuendū nobis fuerat ne tandem occupantibus omnia tenebris liberiùs deblaterassent hostes, multóque audaciùs in nos insultassent quotquot videmus hodie Gallici nominis ac fœlicitatis osores, quando videlicet obseruassent nos literarum beneficio planè destitutos ipsis esse Bœotis inelegantiores, nec à truncis, aut stipitibus magna in re differentes. Cùm enim illi calumniandi, & barbariem obijciendi ex hoc præcipuam sumpserint occasionem, quòd animaduerterent iam à multis annis meliores disciplinas à Gallis paulò segniùs, ac frigidiùs attrectari, quid facerēt quæso, si nunc literas in eis prorsus extinctas conspicerent? Annon vel ad rauim vsque debaccharentur. Annon longè turpiores infamiæ notas nobis inurerent? Quid porrò illorum fronti atque insolentiæ opponeremus, quoties barbariem nobis obiicerent, & feritatem? Quomodo Græcorum occurreremus vanitati? Quo mucrone recentiorum quorundam externorum arrogantiam, & obtrectationem confoderemus? At nunc cùm iam superis bene fauentibus, & secūda magis aura respirāte apud nos reuiuiscant optimæ quaque artes, cùm etiam tot extent Gallicæ dignitatis propugnatores, nihil est quòd ampliùs istorum nuguen-

dulorum (vt eos Plautino vocabulo sic appellem) nasum reformidemus. Quorum linguæ petulantiam etiam si nemo poßit coërcere, monendi tamen sunt, vt si sibi bene consultum velint, abiecta omni maleuolentia Gallum deinceps mirentur, ac suspiciant: simúlque discant de ipsis honorificè sentire, à quibus olim multa hauserunt & doctrinæ, & bellicæ laudis ac fortitudinis ornamenta. Longè certè æquiores, nedum tolerabiliores ipsi Latini, qui aut de Gallis nihil dixerunt, aut si quid dixerint, id semper non absque magni honoris titulo dictum reperias. Eorum quippe virtutem, constantiam, & grauitatem non poterant non admirari, maximéque approbare: tantùm abest vt conuitiis lacesserent, & probrosas effunderent criminationes. Vt enim pleraque cùm T. Liuij, tum aliorum testimonia consultò hîc prætermittam, nónne ipse eloquẽtiæ parens M. Tullius locupletißimus, ac certißimus eorum, quæ suo tempore fiebant, testis, eosdem multis honorum cumulis est prosequutus? Scribit enim in tertia
» Philippica ad hunc modum: Nec verò, inquit, de vir- *Ciceronis & Gallis testimonium.*
» tute, constantia, grauitate prouinciæ Gallicæ taceri po-
» test. Est enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperij
» Romani, illud ornamentum dignitatis. At isti nescio qui AEsopici Graculi, Latinorum scilicet filij, imò, vt verius dicam, Gothicæ, & Vuandalicæ gentis reliquiæ, modestiæ nescij atque pudoris, non verentur improbo, petulantique maledicto Gallici nominis splendorem impetere: &, quod ait ille,

» In toto iactant verba canina foro.

Si quando enim de Gallis apud eos incidat mentio, nihil

monitum quemque velim, me non ita in Græcos agere, quasi ſim debitam illis laudem, & gloriam præcepturus. Quis enim neſcit eos doctrina, eloquentiáque tantùm valuiſſe, vt omnes, qui aliis poſtea claruerunt ſeculis, meruerint habere laudatores? Nam, vt alia omittam, philoſophia ipſa omnium ſcientiarum parens, domina, ac regina nunquã ex alia quauis natione tantũ habuit adiumenti, quantum à Græcis. Tantùm enim abeſt vt cæteri quicquam contulerint, vt etiam ſi qui externi eius aliquando ſtudio incenſi fuerint, ad ipſos Græcorum fontes ſeſe receperint: atque eorundem plerique ſiquid eximium de philoſophia poſteris relinquere voluerint, id non ſua magis quàm Græca lingua præſtare dignum iudicarint. Atque illud eſt quod de Græcis profero elogium. Simile quid de Latinis etiam pronuntio, quos πολυμαθεῖς quoque ingenuè affirmo, ne quis me & his detrahere arbitretur. Mihi etenim odioſum ſemper fuit genus illud hominum, qui prius habent χαριγλώττειν, quàm vera loqui, qui totam gloriæ partem ad ſe ipſos transferentes, cæteris alioqui bene meritis nihil reliquum faciunt, quíque veluti laudum alienarum, aut etiam ſuorum mercede conducti buccinatores dum famæ vnius conſulere volunt, alterius deturpant, dum hunc præter meritũ in ſublime ferunt, illum nimium impudenter vel ad ima vſque, ſi poſſint, deprimunt. Ego certè de Græcis, qui nunc nobis in diſputationem veniũt, ita ſentio, illos etiamſi leuitatis nomine ſuſpectos, attamen optimarum quarúmque artium numeros omnes exactiſſimè, atque fœliciſſimè abſoluiſſe, Rhetorum abundaſſe floſculis, ſubtiliſſimas omnes Dialecticorum argutias te-

Quantum doctrina valuerint Græci, atque etiam Latini.

nuisse, omnia Physices reconditiora arcana magno studio peruestigasse, Theologorum abdita quædam penetrasse, in Mathematicis quoque fuisse exercitatissimos, denique & omnes omnium fabulas miro studio semper obseruasse. Sed tamen eos vicissim pudere non debet (neque enim id multùm laudibus ipsorum derogaret, nisi fortè ea quæ semel professi sunt, more suo constantiæ causa defendenda existiment) ingenuè fateri ipsa literarum primordia fluxisse à Celtis. Enimuero (vt res aliquando certiori probatione elucescat) præter Druidas, à quibus plurimùm celebrata fuit in Celtis philosophia sub Dryio quarto eorum rege, qui scribēte Beroso sacerdote Chaldæo, peritiæ plenus regnauit anno post Noachi diluuium centesimo & decimo, cùm nimirum nihil quicquam de Græcia, quæ per id tēporis inculta erat, adhuc audiretur, constat multos alios iam antea in Gallico solo regnasse ac floruisse philosophos. Cuiusmodi fuerunt Saronidæ illi, quorum meminit Diodorus Siculus libro sexto, à Sarone suo ita nūcupati. Fuerat hic Gallorū rex ordine tertius: sic dictus ἀπὸ τοῦ σαρεῖν, quod ornare atque decorare significat. Neque ea quidem inepta nominis etymologia. Si enim respublicas ab eis hodie ornari censemus & cohonestari, qui eas melioribus augent artibus ac disciplinis, nónne hoc nomine præ cæteris regibus, quos vnquam inclytis veterum annalibus proditos legimus, bene audiet ipse Saro, magnúmque suæ Galliæ & decus, & ornamentum attulisse censebitur, qui quandiu vixit, totus in hoc fuit vt bonas in ea literas propagaret, & optimis ac præclaris morum institutis eorum qui paulò rudiores adhuc viderentur

Saronidę antiquissimi Gallorū philosophi.

animos componeret? Sentiebat nimirum multò pulchrius atque difficilius esse parta semel imperia præclaris legibus sanctisque moribus exornare ac retinere, quàm armis regno regnum addere. Multum habet momenti principis integritas cum sapientiæ studio coniuncta, sed multò plus ciuium recta institutio. Ille itaque noster, in quo nihil quicquam horum desyderabatur, vt subditos sibi populos rectis morum institutis cõpositos haberet, cœpit regnum suum quamuis literarum beneficio minimè quidem destitutum (nam Samothes ante id temporis philosophari iam docuerat) in meliorem tamen formam redigere. Quod vt faceret meliùs, primùm occœpit Academias, quas vulgò Vniuersitates appellant, quouis doctrinæ genere refertas erigere, & instituere. Qui verò in iisdem literas profitebantur, Saronidas appellauit posteritas. Hi præter alias artes, quarum cultores erant diligentißimi, & præter ipsam, qua suos instruebant, philosophiam, erant etiam rei theologicæ deditißimi. Et ne quis me ista comminisci, aut quasi ex cribro, quod aiunt, diuinare putet, audiat hisce de rebus inter cæteros Diodorũ. Cuius
» verba libro sexto sic habent, Sunt, inquit, apud Celtas
» theologi & philosophi quos vocant Saronidas, qui præci-
» puè ab eis coluntur: nam moris est apud eos nullum abs-
» que philosopho sacrificium facere. Existimant enim per
» diuinæ naturæ conscios sacra fieri oportere, tanquã Diis
» propinquiores. Horum intercesßione bona à Diis censent
» petenda, quorũ consilio & bello & pace fruuntur. Hactenus ille. Nec silendum quod Berosus ille Chaldæus ab Atheniensibus χρυσόγλωττος factus, omnibus aliis scripto-

ribus (vnico Mose excepto) vt ætate superior (fuit enim ante tempora Alexandri magni) authoritatéque maior (fuit siquidem in ordinem sacerdotalem cooptatus) atque etiam historia amplior , sic & reliquis longè dignior, cui adhibeatur fides, cùm de regibus Aßyriorũ loquitur, hunc
» *in modum scribit: His, inquit, temporibus regnauit apud*
» *Celtas Saro , qui vt contineret ferociam hominum tum*
» *recentum, publica literarum studia instituit. Ex quibus verbis colligendum non est ante ipsius Saronis ætatem literas, itémque theologiæ , atque philosophiæ cultum in Gallia non fuisse: nam paulò pòst demonstrabitur iam antea extitisse Samotheos, ætate aliquantò superiores. Verùm id intelligendum ita est , nulla adhuc , vt Berosus notat, gymnasia fuisse publica, in quibus posset dura hominum ceruix mitigari, & vndè bonæ artes ac literæ desumi possent, veráque animi medicina (sic enim alicubi philosophiam appellat Cicero) peteretur . Nam ad quæ certiora te remedia poteris recipere, quoties malè habet animus? Nec enim fieri posse reor vt sine philosophia animo valeant homines : quod videlicet hæc quasi Deorum (vt inquit Plato) inuentũ nos primùm ad numinis cultum, deinde ad modestiam , magnitudinémque animi erudiat, eadémque ab animo tanquam ab oculis caliginẽ dispellat, vt omnia supera, infera, prima, vltima, media videamus. Quid, quod virtutes ipsa continet, & officij benéque viuendi disciplinam in se habet, & radicem omnium malorum stirpitus extrahit . Quam qui Saronidarum atque Samotheorum nostrorum more profitetur, videtur grauißimam, quod Tullius ait, sustinere personã.*

Vitiorum, peccatorúmque nostrorũ omniũ à philosophia petenda est medicina. lib . 5 . quæstionũ Tusc.

Adeò nimirum digna eſt, efficax, fructuoſa, frugifera. Cuius maximam vim & energiam eleganter his verbis expreſsit Flaccus,

,, *Laudis amore tumes? ſunt certa piacula, quæ te*
,, *Ter purè lecto poterunt recreare libello.*
,, *Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,*
,, *Nemo adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſsit,*
,, *Si modò culturæ patientem commodet aurem.*

Iſthæc quum Saronem abſolutiſsimum virtutis ac eruditionis exemplar, dignúmque qui ſapientiæ nomine epulis diuûm accumbat, minimè laterent, tantam philoſophiæ cultui dedit operam, adeóque clara ſtemmata & monimenta ſuis reliquit poſteris, vt æternæ hominum memoriæ ſit commendatus, ſibíque vicißim monimentum ære perẽnius extruxerit. Hæc de Sarone, eiúſque philoſophis nos breuiter attigiſſe ſufficiat. Iam ad Samotheos, qui hos præceſſerunt, famæ celebritate conſpicuos accedemus, ſi antè paucula quædam de Mago huius patre, vel, vt alij ſentiunt, auo adducantur. Erat ille Magus Saturni Samothis filius. Regnauit in Gallia anno trecenteſimo poſt maximum illum Nochi diluuium, octauo verò poſt Abrahamum natũ, itémque ante Chriſtum decimo ſeptimo ſupra bis milleſimum. Cæterùm quot ille annis regni ſceptrum tenuerit, quia nec à Beroſo, nec ab aliis quicquã determinatum video, nihil hîc definiam, præſertim cùm iſtuc ſcire non magni interſit, nec ad præſentem locum faciat, pluribúſne an paucioribus regnauerit annis. Summa hic fuit eruditione præſtans, & ædificandi peritia, quam architecturam vocamus, cum primis inſignis. Vnde

Samothei primi Gallorum philoſophi, qui paulò pòſt Nochi diluuiũ floruerunt.

Magus Gallorũ rex Architecturæ ſcientia inſignis

etiam apud doctos cõtrouersia est an huiusmodi appellationem ex idiomate Scythico sortitus fuerit, an Persico, an verò Græco. Siquidem vox illa Scythis ædificatorem sonat, Persis sapientem, Græcis verò (quemadmodũ annotauit Cælius libro quinto, cap. quadragesimo secundo) rerum diuinarum interpretem, & recõditissima quæque diuinorum operum exactissimè speculantem, promentémque illa in actũ, sciẽtiæ angustioris profunditate. Porrò hic noster, Galliam recentis adhuc diluuij incommodis vexatam & dignitate auxit, & domorum, villarum, atque ciuitatum constructione multum amplificauit. Nam eo tempore homines ob ædificiorum penuriam, & raritatẽ passim degebant sub arboribus, ibíque philosophabãtur, quos sapientiæ studium capiebat. De hoc ita scribit Berosus,

Magus quid sonet.

» Nini quinquagesimo primo anno apud Celtas regnauit
» Samothis filius Magus, à quo illis oppida plura posita sunt. Hoc autem loco memoratu simul ac notatu dignissimum, Gallos in huius principis sui memoriam, vel etiã idiomate ipsorum casu quodam ita perseuerante, nescio quo pacto hoc nomen pro domo atque ædificio perpetuò retinuisse. Adhuc enim variatis paucis literis ex Mago (quæ etiam vox olim domum significauit, vt annotatum est ab Ioanne à Viterbo) remansit maison *Gallicè, licet ad vocabuli etymon multò propiùs accedant quidã Burgundiæ populi, à quibus profertur* magion. *Multa præterea oppida peruetusta passim & in Gallia Narbonensi, atque Lugdunensi, itidem in Belgis, & Aquitania cõmemorant Ptolemæus, aliique Cosmographi, quæ procul dubio ab hoc nomine Mago denominationem sumpserũt:*

vt ſunt Iuliomagum, quaſi Iulij domus ac ædificium, Cæſaromagum Cæſaris, Nouiomagum Nouij: & Neomagum, quaſi noua domus. Sic Rhotomagum, Breuomagum, Maguntia, Berbetomagum, Vindomagum, Belgitomagum, & alia id genus. Hæc de mago ſecundo Galliæ rege obiter dicta ſint: quæ non omnino ἀπροσδιόνυσα illis videbuntur, quibus cordi fuerint præclara veterum Gallorum μνήματα. Iam vt de Samotheis pertractemus Samothei. *locus poſtulat. In his autem depingendis, eximiáque eorum doctrina commemoranda latiſsimum adeò campum patere video, vt vndénã ducenda ſit exordiendi ratio, anceps cogitem. Tot enim extant præclara eorum ἀνδραγαθήματα, vt nemo illis ſatis idoneus ſcriptor mihi videatur. Horum literis, & ſapientiæ qui aduerſatus fuerit, nullus vnquam eorũ qui inter optimos authores connumerandi ſunt, inuentus eſt: ſed è diuerſo eorum eruditionem omnes communi conſenſu admirantur, ac ſuſpiciunt. Quod fecerunt Ariſtoteles in Magico, Sotion in decimo tertio ſucceſsionis libro, Iulius Cæſar in Commentariis, vbi per Ditem Gallorum patrem nihil aliud quam hũc noſtrum Samothem innuit, Beroſus Chaldæus libro quinto de antiquitatibus Babyloniæ, qui Defloratio inſcribitur, itémque libro ſecundo de Genealogiis primorum ducum poſt diluuiũ, Annius Viterbẽſis pluribus locis, Diogenes Laërtius lib. primo de vita philoſophorũ, & alij nonpauci. Sed vt iã de Samothe aliquid adferamus, hunc alij Semnothẽ* Cur Semnothes, & Semnothei dicti. *potius, non abſque graui ratione volũt fuiſſe appellatum: indéque Semnotheos potius q̃ Samotheos dicẽdos exiſtimant, quòd id genus philoſophi religioni, ac deorũ cultui*

essent addictissimi. Idipsum enim sonat Græca vox σε-μνέθεοι. Atque in omnibus ferè Diogenis Laërtij codicibus Græcis ita scriptum reperias. Quia tamen vtróque modo à probatissimis auctoribus vsurpatum legimus, nẽpe vel Samothei, vel Semnothei, his perinde vt nihil intersit, vtamur indiscriminatim, præsertim cùm non minùs præclara sit alterius quoque vocis notatio. Dicuntur enim

Samothei vnde dicti.

σάμοι, vt Eustathius interpretatur in Homerum Iliad. ν, τὰ ὕψη, hoc est fastigia, & altitudines. Indè Samothei, quòd Theologiam, & ea quæ mundanam exuperant scientiam rimarentur, dicti sunt: aut etiam, si humilior arrideat interpretatio, quòd in altioribus locis, & cacuminibus montium philosophiam sæpius exercerent: idque non tam quia Philosophia authore M. Tullio, paucis contenta sit iudicibus, multitudinémque hominum consultò fugiens, eidẽ ipsa & suspecta sit, & inuisa, quàm ob multam domorum atque ædificiorum penuriam. Quòd autem eam Græcè exercuerint, & Græcum idioma tunc habuerint in Gallia nostra familiarissimum, ac peculiarem, ex hoc ipso nomine colligas: quanquam nec aliæ multæ desunt nobis probationes, de quibus postea. Illorum itaque

Samothes eximius & rex & philosoph⁹.

philosophorum princeps & origo fuit ipse Samothes, Noachi nepos, Comeri siue Gomeri Galli frater, quartus Iapheti seu Iapeti filius (vt à Beroso proditum est) Dis aliter cognominatus. Qui anno ætatis suæ centesimo & quadragesimo, transacti verò diluuij centesimo & quadragesimo quarto, nimirum circa initium prioris monarchiæ Babyloniorum, quorum Nembrothus ab auo suo Nocho rex fuerat constitutus, in Galliam relicto monte Cordieo,

relictáque Armenia penetrauit, & Celtarum, quorum tunc paruus admodum erat numerus, præfuit imperio. Nec ibi porrectis (quod aiunt) pedibus turpi otio (quod bona pars regum facere solet) delitescebat, quippe qui suos Gallos bonis literis, ethica, cursu stellarum, & astronomia, itémque physica, & abditissimis quibúsque rerum naturalium secretis, mathematicísq; omnibus instituebat, nec alia id quidem lingua quàm Græca. Veram sapientiam, cui annexa erat Dei cognitio suis tradebat. Ceremonias, ac diuina sacrificia, eáque omnia quæ ad Dei cultum attinebant præscribebat. Erat enim πολυμαθής. Nam illum pater Nochus qui à multis & Ianus, & Geminus, & Oenotrius, & Diespiter, & Multisors, & Protheus, & Vertumnus, & Vadimon, & Iupiter Opt. Max. & à Metahstene Persico Ogyges dicitur, itémque eius mater, quam & Horchiam vocant, & Sambethen, & Vestã, & Terrã, & Matrẽ Deûm, & Cybelẽ, & magnam Tyteam, & Aretiã, & Reginam sacrorum, splendidis virtutum ornamentis, omníque sapientiæ genere anteà reddiderant instructissimum. Inerat huic tanta Dei, rerúmque cœlestium cognitio, vt eadem fultus futura sæpenumero certissimè præuideret, ob idque θεοίκελος existimatus sit, atque illum deinde vulgus apotheosin consequutum sibi persuaserit. Neque hoc quidem silentio prætereundum quòd ante omnia suos semper animorum docuerit immortalitatem, ostendens viris quidem bonis vitam aliam quandam longè hac suauiorem esse paratam, improbos verò & reos suas manere pœnas. Vtque rudem tunc populum ad immortalitatis animæ persuasionem ad-

Varia Nochi, atque etiã illius coniugis cognomina.

duceret, eámque animis eorum magis magísque inculcaret, contractuum, & stipulationum legem quandam, quæ diutißimè postea apud posteros remāsit, inuexerat, qua in futuram vsque vitā, quam in cœlo beatis promissam ostendebat, nihil à suis debitoribus exigerent creditores: eáque tandem adeò inualuisse dicitur, vt nullus omnino inter eos esset, qui iam pecunias cuilibet alteri petenti etiamsi incognito, mutuo dare recusaret, & eas quidem post hanc vitam in futuro reddēdas seculo: tantam nimirum de immortalitate animæ opinionem conceperant. Nonnunquā & ob hanc ipsam causam in defunctorum pyram epistolas scriptas (Strabone authore) quidam illorum coniiciebant, tanquam eas mortui essent lecturi. Fertur etiam ipse Dis libros omni sapientiæ genere refertißimos cōscripsisse, quos multis deinde annis sollicitè custodiendos curarunt, maximóque habuerunt in pretio ipsi philosophi Samothei, posteáque Druides & Bardi: qui tamen vitio temporum ita funditus perierunt, vt ne vllus quidem reliquiis hodie fruatur posteritas, adeò vt nihil vnquam nobis scriptum meritò queri poßimus. Porrò hic ob singularem & eruditionis, & probitatis opinionem adeò insignem laudem est adeptus, vt hunc semper in honore summo habuerint Galli, qui ad Cæsaris vsque tempora gloriarentur se ab Dite patre prognatos, quēadmodum scribit idem Iulius Cæsar libro sexto commentariorum de bello Gallico. Nec id sanè immeritò. Sciebant enim non modò sermonis Græci vsum (quod & ab eodem Cæsare annotatū est) sed etiam primos totius Europæ ab eo philosophos incœpisse. Quod equidem etiamsi suis lubentißimè faueat,

Prisci Galli pecunias in alio seculo restituēdas mutuò dare solebant.

Galli se ab Dite patre prognatos gloriantur.

dißimulare tamen non potuit Diogenes Laërtius, qui li-
» *bro primo de vita philosophorũ ita scribit: Philosophiam*
» *à Barbaris initia sumpsisse, complures authores asserunt.*
» *Constat enim apud Persas claruisse Magos, apud Baby-*
» *lonios & Aßyrios floruisse Chaldæos, apud Celtas verò*
» *seu Gallos, Druidas: & qui Semnothei appellabantur,*
» *eius rei fuisse authores ait Aristoteles in Magico, & So-*
» *tion libro decimotertio succeßionis. Hæc ille. Quòd au-*
tem paulò post idem nimiùm φιλόπατρις *eos qui talia sen-*
tirent videtur reprehendere, hac scilicet ratione, quòd
ab ipsis Græcis non solùm philosophiam, verùm ipsum
quoque hominum genus initio manasse velit, nihilo plus
habet fidei aut energiæ, quàm quæ in tonstrinis circun-
ferri videmus,

» *Gaudent vbi vertice raso (vt inquit Flaccus)*
» *Garrula securi narrare pericula nautæ.*

Támque friuolum est, quàm friuolæ illæ quas de Mu-
sæo Atheniensi, & Lino Thebano adducit rationes. Quis
enim vel mediocriter in historiarũ lectione versatus igno-
rat & Linum, & Musæum, quin & Orpheum ipsum *Lin⁹, Musę⁹, & Orpheus quo tempore vixerint.*
(quos primos philosophiæ, theologiæque cultores faciunt)
anno Gedeonis Hebræorum iudicis vicesimo quinto, iu-
xta Eusebij supputationem, vixisse ac floruisse, nimirum
paulò ante Troianum excidium? Cui etiam ignotum esse
potest, quòd Orpheus ipse relicta Thracia (veluti innu-
meri ferè Græcorum authores meminerunt) vnà cum
Castore, Polluce, Thelamone, Hercule, cæterísque Ar-
gonautis Colchos ad vellus aureum rapiendum profectus
fuerit, atque eodem ferè tempore Hercules Linum, &

Musæum Orphei quidē socios, habuerit præceptores? Accedit quòd priscis Græcis nullus fuit rex Phoroneo antiquior, licet quidam legantur illi coætani. Quod cum ita esse neminem prætereat, operepretium est intueri quantū à veritatis tramite sit exorbitans Laërtius, præsertim cùm ante illam Argonautarum expeditionem, imò & ducentis circiter antè quàm Phoronæus sceptra teneret, annis, manifestum sit Melchisedechum extitisse, virum in quo multa & diuinarum & humanarū rerum cognitio prælucebat: itémque Abrahamum certissimum fidei nostræ typum, qui nec sine literis fuit, nec humana caruit sapiētia, nec mathematicas ignorauit disciplinas, vt quem rudes adhuc populos Arithmeticam, Astrologiam, cæteráque id genus mathemata edocuisse constet. Sed & anno fermè vicesimo supra septingentesimum ante eundem Phoroneum, inuentos fuisse coctiles laterculos astrorum obseruatione & philosophia inscriptos Epigenes auctor grauissimus, & Plinius libro septimo prodiderunt: vt interim discant Græci nec philosophiæ, nec generis humani à se ipsis manasse principium. Taceo quòd multos supra ætatis illius memoriam annos, suos iam habuerat Saronidas, suósque Samotheos Gallia: quibus nihil omnino quod ad exactissimam, verámque disciplinarum omnium cognitionem spectat, defuit. Nam quò minùs remota fuit eorum ætas ab vniuersalis illius inundationis tempestate & incommodo, eò maiori erant rerum omnium cognitione præditi, quum eorum patres theodidactos fuisse nemo sit qui ambigat. Quòd autem illa ætate nec literas Græcia, nec homines etiam habuerit, ex eo colligitur, quòd post

Melchisedechus.

Abraham'.

Troiæ siue Dardaniæ constructionem habitari cœpta sit, eámque rudes quidam aborigines, quorũ incerta est origo, primò tenuerint. VndeThucydides eam diu ἀστάτως fuisse habitatam suis prodidit historiis. Et Strabo in Geographia Graciæ à barbaris antea cultam ostendit, eiúsque rei argumentum eße, quòd multa illis barbara nomina remanserint. Quòd si quis hic rem vera rectáque supputatione voluerit examinare, totámque annorum rationem ad calculum reducere, procul dubio comperiet annis plus quàm octingentis Galliam philosophia, & literis antè claruisse, quàm Græci elementa literarum à suo illo Cadmo fuerint assequuti. Iam igitur si qui fuerint id genus Græculi, qui tam impudenti iactantia effundantur (quemadmodum loquitur M. Cato in fragmentis de originibus) vt ea sibi præter meritum arrogent, quæ minimè sint arroganda, desinant tandem (quod ait Cicero) cornicũ oculos configere, nec nouis cõmentis veterum famam ac eruditionem perturbent, quasi alij & antiquitate & dignitate superiores nihil sciße, nihil præstitiße videantur, aut quasi nullus omnino sit futurus, qui incondita ipsorum deliramenta obseruaturus prodeat in medium. Nihil illos pudeat propria vineta, vt est apud Horatium, cædere, simúlque fateri philosophiam priùs à Celtis quàm à seipsis fuisse excultam, & pertractatam. Cuius equidẽ rei tota laus Samothi nostro tanquam primo authori adscribenda est, omnium sui temporis sagacißimo. De quo sic Berosus,
» *Samothes, inquit, qui & Dis, Celtas colonias fundauit:*
» *neque quisquam illa ætate isto sapientior fuit, ac propterea*
» *Samothes dictus est. Cuius certè viri authoritas & ad*

probandā generis nostri antiquitatem, & ad priscæ eruditionis Gallicæ confirmationem, etiamsi nullæ aliæ suppeterent rationes, posset sufficere. Porrò Samothes composito Galliæ statu, necnon optimis moribus ac literis illustrato, vixit adhuc annos septem & quadraginta, in quibus id tantummodo illi curæ superesse videbatur, vt populum iā satis bene in literis iuxtà ac moribus promotum in recto

Comerus Gallus. *contineret officio, vtque nonnunquam fratrem suum Comerum Gallum, qui per id temporis in agro Vetuloniensi residebat, consanguinitatis iure visitaret, vicißimque ab eodem visitaretur. Fuit autem* πολυετής: *nam vixisse perhibent annos centum & nonaginta septem, idque relictis, cum moreretur, Mago filio, & ex eodem, nepote Sarone. De quorum sapientia, & cumulatißimis animi dotibus cùm satis multa dixisse videamur, maximéque de Saronidarū secta, nūc de duobus aliis priscorū Galliæ nostræ philosophorum generibus, nempe de Druidibus & Bardis pauca quædam, quantum locus postulabit, restat attingere, quò videlicet Celtas olim absque literis, & philosophia nequaquam fuisse magis, magísque intelligatur.*

Druides. *Suam Druides appellationem sortiti sunt à principe suo Druide, siue Dryio: qui an quartus fuerit Gallorū rex, an verò quintus, rursus an pater huius fuerit Saro, an*

Namnes. *verò Namnes huiusce nominis primus (fuit enim nobis alter Namnes quem vicesimum secundum inter priscos Gallorum reges faciūt, à quo & Namnetes populi dicti sunt) pendet adhuc fides veri. Sed nec præsentis est loci eiusmodi inquisitio. De Namne pauciores loquuti sunt, quòd nulla ferè, aut parua admodum super eo inualescat rerum*

præclarè gestarum memoria. Nos igitur ad Dryium sermonem conuertamus. Hic regnare, & cum regni administratione philosophari cœpit anno post diluuium decimo supra quadringentesimum, anno verò post primam regni Gallici extructionem quinquagesimo quinto supra ducentesimum. De exquisitissima & admirabili huius eruditione, ac theosophia multa passim & à Græcis, & à Latinis authoribus scripta reperias. Et Berosus Chaldæus in commentario de regibus Assyriorum peritiæ plenum asserit eum fuisse. Quoniam autem in lucis sub quercubus, atque arboribus philosophiæ secreta rimabatur, & rerum causas perscrutabatur, suos ibidem etiam philosophari docens, δρυός *cognominatus est, quasi quernum dicas, aut arboreum, aut sub quercubus manentem. Quod & Plinius libro decimo quinto confirmat.* Δρῦς *enim tunc temporis apud Gallos, sicut hodie apud Græcos quercum sonabat, licet & interdum per translationem pro quauis arbore sumi consueuerit. Nam & vitem poëtæ* δρῦν οἰνοχίτωνα *frequenter appellant. Ex quo colligas cùm & Druidum, & Samotheorum, & Saronidarum appellationes Græcæ sint, Græcam tunc lingam Gallus fuisse peculiarem. Nam tum in Græcia nihil erat, ac ne vllas quidem radices ibidem lingua illa Græca, quæ postea tantopere claruit, egerat: vt quæ multo postea tempore vel à barbaris, dicente Strabone, coli cœpta sit. Proinde rectè Cyrillus Græcos scientiam tardiùs accepisse, libro primo contra Iouinianum hæreticum ostendit. Sed ne longiùs quàm par sit à suscepta de Druidibus oratione excurramus, hi hodie retento eodem vocabulo à Latinis Druidæ, vel*

Dryius, siue Druis.

Dryidæ appellati sunt, interdum etiam Druides. Atque hi quidem præter rerum naturaliũ causas, & literarũ studia, moralem quoque disciplinam exercebant, hominúmque animos tam insigni & virtutis & doctrinæ, cultiorum denique morum præstantia compositos reddebant, vt iam non à vulgo tantùm immoderatis penè affectibus suspicerentur, & quasi deorum loco haberentur, verùm & summi quique viri, atque generosissimi principes eorum nominis perquàm studiosi, semper ferè doctrinam ab illis traditam singulari quodam fauore complexi sint. Nam post multos deinde annos Longo, Bardus eo nomine secundus, Lucus siue Lucius, Celtes qui & Celta, Hercules Libyus, quem Osiris genuisse perhibetur, Galates seu Galata, Arbonius, Lugdus, Belgius, Iasius, Allobrox, Rhomus, Paris, Lemanus, Olbius, Galates iunior, Namnes, Rhemus, & qui præterea alij reges vetustissimi ordine successionis Gallorum regno præfuerunt, apertos à Druidibus ipsis disciplinarum omnium ludos tanti fecerunt, eorúmque literas & sapientiam suo patrocinio adeò libenter dignati sunt, vt pectus ad iuuandam rem literariam partim ab illis, partímque à Saronidibus & Samotheis introductam nunquã non habuerint propensissimum. Etenim, vt vnum atque alterum exempli causa huc adferre liceat, Olbius (quem Græco vocabulo ita nostri appellarunt) qui vicesimus paulò post Erychthonij Phrygiæ regis ætatem in Gallia sceptrum tenuit, ciuitatem percelebrem (quæ inter Massiliam & Nicæam à Strabone non procul à Varo fluuio collocatur) Olbiam à se ipso nuncupatam præstanti literarum scientia sic auctam reddidit, vt

Olbius. Olbia.

meritò ſane Olbia, id eſt, ſi Græcam vocem Latinè redamus, fœlix & beata dicta fuerit. Cuius filius Galates eo Galates. *nomine ſecundus in Aſiam minorem (vt author eſt Manethon AEgyptius Chronologus) cum exercitu potentiſſimo profectus à virtute paterna minimè degenerauit, ſed literas, & philoſophiam ſibi à maioribus traditam fideliter & ſtudiosè propagauit. Atque hic obiter animaduertendum Olbium, Galatam, Rhomum, Nicæam Græcas eſſe dictiones, quarum hodie non obſcura ſit ſignificatio: hinc argumentum eſſe non paruum nec inualidum Græcas literas abſque controuerſia illo tempore noſtris in vſu fuiſſe. Poſtea etiam Bauo (vt hic inter tot alios vnus* Bauo. *recenſeatur) cui cum Priamo rege neceſſitudinem, affinitatem, & cognationem fuiſſe credunt, quique in priſcorum Galliæ noſtræ regum numerò atque ordine viceſimus quartus connumeratur, qui etiam ipſo ferè Priami tempore vixit Sampſonis duodecimi atque poſtremi Iſraëlitarum iudicis coætaneus, nimirum ſub ipſam Cumarum Campaniæ ciuitatis ab AEnea conſtructionem, eorum Druidarum literas, mores, & inſtituta tanto habuiſſe in precio memoratur, vt ſe totum in huiuſmodi ſectam ferri lubentiſsimè ſit paſſus, & Archidruis, quaſi Philoſophorum, ac Druidarũ princeps voluerit appellari. Mihi nõ omnino videntur hic hallucinari, qui de hoc exiſtimarunt carmina illa Ouidiana eſſe intelligenda,*

» *Ingeniique ſui dictus cognomine Largus,*
» *Gallica qui Phrygium duxit in arua ſenem.*

Sed ne fortè prolixiori tam huius, quàm aliorum virtutis & induſtriæ commendatione noſtra plus æquo turgeſcat

pagina, pedem hinc exerimus, ad inceptam de Druidibus enarrationem gressum flexuri. Si quidem digna planè est quæ omnium in memoriam reuocetur historia, & eorum maximè, quorum ortum Gallia sibi vēdicat, vel certè quibus cordi fuerint præclarissima vetusta Gallorum gētis monumenta. Druides igitur multiformi virtutis necnon eruditionis supellectile instructi, hoc præcipuè intenti erant vt oppiparis doctrinæ, rerúmque honestarum epulis cæterorum animos lautissimè reficerent, eos quantùm fieri poterat, ex inscitiæ tenebris (quibus nimiùm sæpe rudis plebecula solet inuolui) retrahentes. Nec ignotum est in quibus Galliæ oris illi philosophati sint. Siquidem compertum est illos in nōnullis ciuitatibus Armoricis, in Carnutibus (quæ regio est totius Galliæ media) Heduis, atque Mandubiis consedisse. Vnde & alicubi vetustissima castella reperias, vrbes, ædificia, nemora, montes, quæ ad hūc vsque diem Druidum nomen retinuerunt. Celeberrimus est adhuc in agro Semurionensi non procul ab Alexia dissito mons Druidum, hodie vitibus multis consitus, & vini generosissimi ferax : qui olim dum à Druidibus incoleretur, nihil præter quercus, atque alias diuersi generis arbores habebat. Proditum etiam memoriæ est Druidū partem in monte Iouis, qui mille ab Heduorum vrbe passibus distat, habitasse. Quin & pluribus coniecturis adductum se dicebat Sebastianus Cadurcus, vir cùm multis nominibus, tum eo maximè insignis quòd in Gallia studiosè perlustranda, eiúsque antiquitate λεπτομερῶς requirenda bonam extremæ suæ ætatis partem collocare non dubitauerit, vt crederet monticulū illum Mandubiorum

Vbinā Druides potissimū habitasse dicantur.

qui Eſpiciis propinquus eſt, & meo Toutrerio propinquiſsimus, à Druidibus olim fuiſſe habitatum, quòd & monumenta quædam peruetuſta id loqui viderentur, & ipſa dictionis notatio illud ipſum ſuboleret. Siquidem detorto, & corrupto vocabulo à noſtris Mongeſuum neſcio quomodo appellatum dicebat, cùm paulò ante huius ætatis memoriam, à maioribus noſtris prolatum fuiſſe accepiſſet Mõdrium quaſi dicas montem Dryi, aut Druidũ. Verùm nos in præſentia eiuſmodi etymologiæ inquiſitionem relinquemus, eam accuratiùs multò perſequuturi in alio quodam libello quem de Alexia aliquando, ſi modò cœptis Deus fauerit, ſumus edituri. Vt autem nos in ipſa Druidum hiſtoria contineamus, erant illi non tantùm philoſophiæ, ſed & religionis cultui deditiſsimi, quantumuis dubium non ſit quin nobis, qui Chriſtianæ imbibimus doctrinæ puritatem, irreligioſa videatur ipſorum religio, velut & aliorum omnium qui poſt hominum memoriam extitere philoſophorũ, atque theologorum, quibus ea quæ ab vnico Ieſu Chriſto generis humani ſeruatore ſalus dependet, obtecta fuit aut incognita, quique Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate non agnouerunt. Hos etenim in portentoſas quáſque errorum imagines ferri, & quod Græci dicunt ἐν τῷ λιμένι γένηται pernecesſe eſt, præſertim quum ſint extra tutiſsimos veræ fidei cancellos, & quicquid ex fide non eſt, illud dicente ſcriptura, peccatum ſit. Verùm nos hic de fide veráque religione, quam ſcimus olim penes Iudaïcum populum tantummodo extitiſſe, hodiéque in ſolis regnare Chriſtianis, non agimus: inquirimus tantùm apud quos populos bonas artes ac

disciplinas primùm fuisse constet, simúlq; præclara Druidum facinora inuestigamus. Quòd igitur Druidæ præter multam illam literarũ exercitationem fuerint etiam nescio cuius religionis sectatores, parum alioqui cum vera religione congruentis, & quam ἐθελοθρησκείαν verè poßis appellare, fortaßis absurdum non erit id ipsum ad temporum referre conditionem, quibus rerum cœlestium veritas, aut omnino abscondita erat, aut certè tã caliginosis offuscata atque inuoluta tenebris, vt à paucißimis perciperetur. De horum itaque ritibus satis fusè differit Plinius libri decimi quinti, capite quadragesimo quarto:

De visco Druidarum ac nonnullis eorum ritib⁹.

,, *Non est, inquiẽs, omittenda ea in re & Gallorum admiratio. Nihil habẽt Druidæ (ita suos appellant magos) visco & arbore in qua gignatur (si modò sit robur) sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos: nec vlla sacra sine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca poßint Druidæ videri. Enimuero quicquid adnascitur illis, è cælo missum putant, signúmque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inuentu: & repertum magna religione petitur, & ante omnia sexta luna, quæ principia mensium, annorúmque his facit, & seculi post tricesimum annum, quia iam virium abundè habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificio epulísque ritè sub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit. Candido id excipitur sago. Tunc demum victimas immolant precantes vt suum donum deus prosperum faciat his quibus dederit.*

„ *Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali sterili ar-*
„ *bitrantur, contráque venena omnia esse remedio. Tanta*
„ *gentium in rebus friuolis plerunque religio est. Hactenus ille. Cuius verba propter eam quam habent venustatem hic inserere nequaquam à nostro alienum instituto fuit, maximè quum in his multa quæ ad Gallorum antiquitatem in memoriā reuocandam faciāt, contineantur. Atque hoc quidem loco operepretium est annotare eam semper apud Gallos, maximéque Burgundiones inualuisse, & ad hæc vsque tempora penetrasse memoriam, vt singulis annorum initiis quidam ex plebe, quasi sibi suísque bene precantes per singulos pagos & vicos ostiatim conclament,* au guy lan noeuf, *id est ad viscum, annus nouus: vel vt clarius explicem, ad viscum inquirendum properandum est, ô viri, quandoquidem hoc anni esse exordium vobis significamus. Hoc sanè nostri adhuc ex antiquissima obseruatione quotannis faciunt, sed cur faciāt, nesciunt. Nimirum vetustissima illa est de Druidarum ritibus ac ceremoniis retenta consuetudo. Ab his enim iam ex longa temporum serie sic instructa fuerat rudis plebecula, vt ipso anni exortu, id est sub crepusculum vespertinum, aut circa primam noctis facem (plus enim nocti quam diei tribuebant Galli, quòd se omnes, scribēte Cæsare in commentariis de bello Gallico, ab Dite patre prognatos prædicarent, idque ab Druidibus proditum dicerent: atque ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiebant, & dies natales, & mensium, annorúmque initia sic obseruabant, vt noctē dies subsequeretur) omnes ad lucos viscum illum, quem*

Vetustissima in hodiernū diem de Druidarum ritibus retenta consuetudo.

ſuis omnibus præſtigiis accommodabant, requiſituri confeſtim accurrerent, repertúmque Druidibus indicarent: qui mox ſuis diligenter obſeruatis ceremoniis aurea falce ſuccidèrent. Porrò ne quis cunctaretur, ſed intelligerent omnes operi tam ſacro manibus pedibúſque ſibi quàm primùm eſſe incumbendum, deſignati erant nonnulli (quos παραγγέλους *haud impropriè poſſis appellare) qui præmiſſi hortarentur vnumquemque ad ſedulã viſci illius* θαυμαστοῦ *indagationem, idque ſine mora, quum iam prima anni nox, id eſt, ſecundum illorum ſupputationem, principium anni aduentaſſet. Quod Ouidium minimè latuit ita ſcribentem,*

» *Ad viſcum Druidæ, Druidæ clamare ſolebant.*

Cuius carminis anno ſuperiori me familiariter admonuit Renatus Guillonius, vir, ita me Deus amet, qui præter diuitem multæ, ac propè infinitæ lectionis ſupellectilem, Graium ita ſpirat eloquium, vt ne Athenas quidem ipſas, ſi hodie in integrum reſtituantur, tam Atticas eſſe dixerim. Quòd autem illi ſcribente Plinio precarentur donũ cælitus collatum ſibi proſperum fieri, hodie quoque apud Gallos obſeruatum ac retentum videmus. Nam in Mãdubiis, totáque pene Burgundia, vbi conclamatum eſt, ad viſcum, annus nouus, illicò ſubiungunt & aliam clauſulam, qua vſitato nunc inter ipſos idiomate optant, vt ſibi donum diues atque opimum contingat. Quod etiam apud Nannetes, & Byturiges, & Carnutes, & Heduos, denique & per totã ferè Galliam factitant. Breuior fortaſſis & conuenientior Picardica locutio. Nam vnica voce, & ea quidẽ appoſitiſſima ſibi ac ſuis bene ominãtur.

Postquam enim ab eis prolatum est, au guy lan noeuf, *id est ad viscum, annus nouus, altiùs deinde geminata voce inclamant,* Planté, planté. *Quo vocabulo hodie apud eos in vsum recepto significatur anni fœcunditas, atque fertilitas. Addidere postea nostri nescio quam cantilenam, multis mysteriis tum de Christi aduentu, tum de admirãdis illius natalitiis farctam. Quod hac, ni fallor, ratione fecerunt, vt populus qui accepta semel à patribus religionis solet esse tenacissimus, paulatim, & id quidem latenter à paganismo suo, quem alioqui tam citò nec dediscere, nec dedoceri poterat, ad Christianismũ adduceretur. Forsitan hac in re longiùs quàm par sit detinemur, nec nos intra propositi stadij terminos continemus. Verùm hæc eò tantùm pertinere moneo, vt nonnulla maiorum nostrorũ Druidarum facta in Celtis nondum planè obliterata reuocemus in memoriam. Possent & hoc loco multa adferri, quæ ab his olim introducta hodie apud nos, si paulò oculatiùs intueamur, obseruata manent (quamuis pleraque tam ab imperatoribus Romanis, quàm à rerum edaci tempore, ac inuidiosa vetustate abolita fuisse manifestum sit) quæ quia minimè sunt huius instituti, nunc silentio erunt prætereunda. Lucanus libro primo belli Ciuilis horum mores, &* θεογνῶσιν *his depingit versibus,*

„ *Et vos barbaricos ritus, morémque sinistrum*
„ *Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.*
„ *Solis nosse Deos, & cœli numina vobis*
„ *Aut solis nescire datum. Nemora alta remotis*
„ *Incolitis lucis. Vobis authoribus vmbræ*
„ *Non tacitas Erebi sedes, Ditísque profundi*

» *Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus*
» *Orbe alio, longæ canitis si cognita vitæ.*

Ouorũ magicorum genus quo Druides vtebantur

Fuit & his, authore Plinio, ouorum magicorum genus quoddam ad regum & litium victorias insigne. Sed ipsius authoris verba producamus. Præterea, inquit, est ouorum genus in magna Gallorum fama omißum à Græcis. Angues innumeri æstate conuoluti saliuis faucium, corporúmque spumis artifici complexu glomerantur: anguinũ appellatur. Deinde id dicunt sibilis in sublime iactari, sagóque oportere intercipi, ne tellurem attingant: profugere raptorem equo: serpentes enim insequi, donec arceantur amnis alicuius interuentu. Experimentum eius esse, si contra aquas fluitet, vel auro cinctum. At (vt est Magorum solertia in occultãdis fraudibus sagax) certa Luna capiendum censent, tanquam construere operationẽ eam serpentium humani sit arbitrij. Vidi equidem id ouum mali orbiculati modici magnitudine: crusta cartilaginis, velut acetabulis brachiorũ Polypi crebris insigne. Druides ad victorias litium, ac regum maximè laudant: tantæ vanitatis, vt habentem id in sinu equitem Romanum à Diuo Claudio principe interemptum non ob aliud sciam. Hic tamen complexus anguium, & efferatorum concordia, causa videtur esse quare exteræ gentes Caduceum in pacis argumentis circundata effigie anguium fecerint. Neque enim cristas esse in Caduceo mos est. Hæc Plinius. Præterea sacra illa immanißima videbãtur, quibus partim in Carnutibus, idque certo (vt Cæsar ait) anni tempore litabant: partim in ciuitatis Heduorum suburbio: partímque alibi. Hi ferè omnes Augures erant, Arioli,

Vates, Aruspices, & Genethliaci. Vnde & in Heduis locus quidã est ad Septentrionalẽ aspectum, non procul à fluentis Aroti, vbi nũc vestigia phani Proserpinæ, & Plutonis conspiciuntur, in quibus illi multos peregisse ritus traduntur, de futuris ibidem multa pronuntiantes. Sed audiamus quoque Diodorum Siculum de his libro » sexto ita loquentem: Celtæ, inquit, vtuntur diuinatori- » bus Druidibus, qui apud eos dum auguriis & sacrificiis » futura prædicant, plurimi æstimantur, omni eis obtempe- » rante plebe. Cùm verò de magnis rebus consulunt, mi- » rabilem incredibilémque consuetudinem seruant. Iugulãt » enim ense hominem: quo decidente cùm ex casu, tum ex » membrorum laceratione & sanguinis fluxu ex quadam » rerum antiqua obseruatione norũt futura. Hactenus ille. Druidarum religio à Romanorum imperatoribus sublata. *Huiusmodi tamen religionem quæ iam à multis vsque seculis inualuerat, tandem vt nimis duram, & ab humanitate prorsus alienã obliterauit ac sustulit Claudius Cæsar, quintus Romanorum imperator. Vnde Suetonius, » Druidarum, inquit, religionem apud Gallos diræ imma- » nitatis, & tantùm ciuibus sub Augusto interdictam pe- » nitus aboleuit. Quod & Plinius confirmat, qui libri tri- » gesimi capite primo in hæc verba scripsit, Cornelio Len- » tulo, & Publio Licinio Consulibus Senatusconsultum fa- » ctum est, ne homo immolaretur, palámque in tempus si- » luit sacri prodigiosi celebratio. Gallias vtique possedit, & » quidem ad nostram memoriam: námque Tiberij Cæsaris » principatus sustulit Druidas eorum, & hoc genus vatũ, » medicorúmque. Non est omittendum quemadmodum illi sacra & ciuilia instituta Græcis versibus cõprehenderunt,*

vt indè Græci sermonis manifesta vestigia longißimis pòst temporibus Gallicam linguam retinuisse existiment. Eloquentiæ vim simulacro Herculis Celtici conuenienter expresserunt. De medicina, rerum principiis, immortalitate animorum, & Deo plurima sunt philosophati. Adhæc de morum informatione, déque republica administranda doctrinam habuerunt, vt iudiciis illorum atque consiliis publicæ & priuatæ controuersiæ sedarentur. Quæ omnia Græcè scripta adolescentibus viginti annis in disciplina retentis ediscenda proponebant. Dabantur illis præmia, & immunitates, quò inuitari ad capessendas doctrinas ingenia possent. Ex hac ipsa Druidum familia fuisse Diuitiacum Heduum Dumnorigis fratrem Cæsaris tempore cognitum est. Nam ille præter diuinãdi artes Phisiolologiæ doctrinam, cuius erat peritißimus, profitebatur: ob eámque maximè rationem eundem C. Cæsar & M. Tullius suis scriptis plurimùm commendarunt. Neque enim quicquam eorum, quæ de isthoc philosophorum genere dicimus, Cæsarem latuisse credendum est: qui de his ita scribit: Illi, inquit, rebus diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnóque ij sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controuersiis publicis, priuatísque constituunt. Et si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est, iidem discernunt, præmia pœnásque constituunt. Si quis aut priuatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauißima.

Diuitiacus Heduus, ex Druidũ familia prognatus.

*„ Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum ac sce-
„ leratorum habentur: ab iis omnes discedunt, aditum eo-
„ rum sermonémque defugiunt, ne quid ex contagione in-
„ commodi accipiant: neque iis petentibus ius redditur, ne-
„ que honos vllus cõmunicatur. His autem omnibus Drui-
„ dibus praeest vnus qui summam inter eos habet authori-
„ tatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate,
„ succedit: at si sunt plures pares, suffragio Druidum ad-
„ legitur, nonnunquam etiam de principatu armis conten-
dunt. Haec & alia multa C. Caesar, quae hîc omnia inse-
rere non est necesse. Quòd autem peritissimi illi essent Astrologiae professores, & disciplinae moralis, & Physices, & Metaphysices, & Arithmetices, & Theosophiae, satis colligere licet ex eo quod ipse Caesar ait intentos illos esse vt persuadeant in primis non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios (quod semper existimauit & Pythagoras de metempsicosi multa philosophatus) atque hoc maximè ad virtutem excitari homines metu mortis neglecto: multa praeterea de syderibus atque eorũ motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum quoque immortalium vi ac potestate disputare, & iuuentuti tradere. Quibus verbis conforme etiam est quod Strabo libro quarto asserit, Druidas praeter rerum naturalium studia, quae tractabant, moralem quoque disciplinam exercuisse: iustissimi autem omnium opinione cùm essent, publica & priuata iudicia eorum fidei fuisse demandata. Subiungit praeterea quemadmodum diuersis cruciatibus homines afficiendo immolabant, dum scilicet quosdã diuinationi destinatos in tergo*

feriebant, quosdam sagittis percutiebant, quosdam verò in ædibus sacris patibulo affigebant. Videtur Lucianus Samosatenus huiusmodi sectam optimè cognouisse. Quod cùm alibi, tum præcipuè in Hercule Gallico declarat: vbi ait se in Gallum quendam incidisse, qui Græcanicam linguam absolutè sonaret, eúmque sibi philosophum aliquem ex eo genere philosophorum, quod apud Gallos ipsos esse ferebatur, visum fuisse. Quoniam autem de hac philosophorum familia satis multa dicta sunt, & de eorum literis, moribus, ac religione quæ videbantur attigimus, ad aliud vt pergamus locus iam postulat. Atque hoc quidem Bardorum est. Hi cùm in multis Celtarũ locis, tum maximè in quodam amœnissimo, sitúque ipso eminentiori (quod tunc temporis ferè vndique nemoribus densissimus cingebatur) Mandubiorum oppido philosophabantur: propterreáque monticulus ille, Mons-Bardorum dicebatur, de quo Sebastianus Cadurcus nonnihil obiter attigit in quadam epistola: meminisse ferunt & Eratosthenem quendam in libello de rebus Galaticis, vt idem Cadurcus annotauit. Hoc tempore perperam & corruptè non solùm à vulgò, sed etiam ab iis qui inter non vulgariter eruditos connumerantur, appellatur Mons-Barri, atque huius appellationis nescio quod etymon satis friuolum adducunt: cùm alioqui veram patriæ antiquitatem accuratiùs rimari oportuerit. Sic autem Bardi à Bardo Druidis, aut si mauis, Dryi filio, quinto Celtarum rege (ne quis Bardum iuniorem existimet, qui septimus fuit in regni Gallici administratione) qui sectã atque academiam Poëtarum, Musicorum, & Rhetorum introduxit, co-

Bardi Gallorũ philosophi

gnominati fuere: tametsi & aliunde deduci posse videatur appellationis huius etymologia. Bardus enim vt an- Bardus quid sonet.
notat Sulpitius in Lucani librum primum, lingua Gallica olim Cantorem significabat. Ex quo effectum putant, vt quia prisci Galli præter artes reliquas maximè Musices studio nauabant operam, id tandem nominis fuerint consequuti. Certè huiusmodi notationem nec probamus, nec improbamus: hoc tantùm obiter monere lubet, quod de nominis huius significatione à Sulpitio annotatum est, suspectum nonnullis videri, existimantibus longè aptiùs deriuationem ἀπὸ τοῦ βραδέος ἤδε βαρδέος sumendam, præsertim quum nostros olim Græcè loquutos ex C. Cæsare certo certius intelligatur, & paulò pòst apertiùs ostendetur. Est autem hodie βραδὺς siue βαρδὺς (vtroque enim modo dicitur per metathesin) idem quod νωχελὴς, id est hebes, tardus ingenio, stupidus ac segnis, cùm tamen olim sapientem significaret & ingeniosum, quales nimirum maiores nostros fuisse compertum est. Verùm enimuero paulatim eius significatio abutentium culpa in sensum cōtrarium detorta est. Vnde Cicero libro de Fato, stupidum Socratem dixit & bardum. Idipsum in voce, sophista, factum videmus, in tyranno, in hoste, in aliis plerisque. Hæc in transitu adducere placuit, nemini tamen interea suadentes, vt in iisdem vel pollicem premat, vel eundem conuertat. Sed ad nostrum redeamus, qui politiores literas cum veteris adhuc inscitiæ patronis nescio quomodo colluctantes, ita fauore suo fulsit, authoritate ita tuitus est, splendore ita ornauit, rerum & scientiarum inuentione ita adauxit: vt pectus iuuādis omnino Gallicæ

literaturæ partibus natum habuisse illum iure optimo dicas. Quid quòd eidem nostro Bardo tota Musicæ laus, eiúsque inuentio adscribenda est? Nec profectò Musicæ solùm, sed diuersorum etiam (pace Græcorum dixerim, qui quod huiusce nostri fuerat, id totum suo Orpheo, & nescio quibus aliis more suo impudentissimè ausi sunt attribuere) diuersi generis carminum. Quod sapientissimū, atque eloquentissimum illum Berosum minimè latuit: cuius verba in tractatu de regibus Assyriorum sic habent,
„ *Apud Tuyscones, inquit, regnabat Herminon vir fe-*
„ *rox armis, & apud Celtas Bardus, inuentione carminum*
„ *& musicæ apud illos inclytus. En quàm graue & quàm efficax de nostris, eorúmque literatura testimoniū. Quid hìc dicitis (vt sermonem ad vos conuertam) ô Gallici nominis obtrectatores? Quousque tandem canina nobilitati facundia in petulantissimum latratum erumpetis? Nunquámne generi nostro de omnibus bonis disciplinis semper quàm optimè merito, & primam in literis celebritatem sibi suo quodam iure vindicanti barbariem desinetis obiicere? Nihilne, quæso, vos mouet sacerdotis huius Chaldæi & grauissimi, & antiquissimi authoritas? Cui, scribente Plinio, Athenienses olim propter summam eloquentiam atque sapientiam, statuam lingua aurea præditam in suis erexerunt scholis, mediáque collocarunt academia. Nec verò Lucano incognita fuit id genus philosophorum secta, qui libro primo belli ciuilis ita scriptum reliquit,*

„ *Vos quoque qui fortes animas, bellóque peremptas*
„ *Laudibus in longum vates dimittitis æuum,*
„ *Plurima securi fudistis carmina Bardi.*

Hos item Strabo libro quarto Geographiæ, laudationibus, reique poëticæ vacare solitos dicit. Constat & eos maximo studio poëticis rebus panægyricis pangendis incubuisse. Solebant etiam Heroicos versus fortia clarorum virorum facta continentes dulcibus lyræ modis ad suscitandos in cœtibus atque conuiuiis iuuenum animos decantare. His grauiores, & maiori vulgo admirationi erant Eubages, qui præter poëticam, sacra quoque, ceremonias, auguria, diuinationem & naturæ causas profitebantur. Eubages. *Hoc autem loco id genus poëtas nostris quibusdam recentioribus, qui hac tẽpestate nescio quæ cõmenta Gallicè scribunt, similes fuisse ne existimemus, nec eorum carmina istorum næniis atque illiteratis fabellis arbitremur esse conferenda. Est enim (vt à proposito nostro liceat aliquãtisper digredi) his nostris temporibus quoddam genus hominum (non magis hìc Gallis parcendum est quàm Italis, quàm Hispanis, quàm reliquis) qui quòd orationem rhythmis, & consonantia quadam perpolire, concinnare, ac disponere nouerunt, se impudenter poëtas audent pronuntiare, suámque illam ῥυθμοποιΐαν pro versibus & poëmatibus in quadriuiis, in foro, in aulis principum iactare, atque vbiuis locorum pennas nido maiores extendere nihil erubescunt.* De vulgaribus rhythmorum scriptoribus qui se poëtas audẽt profiteri. *Horum lucubrationes, si spectes, videbis, fateor, quandam verborum consonantiã interdum pulchrè satis cohærentem, & auribus nequaquam iniucundam: sed tamen indignã quam vel poëma vocemus, vel carmina, quum nulla illic pedum varietas conspiciatur, nulláque obseruetur syllabarum quantitatis ratio: quod in omnibus Græcorum, Latinorum, &*

Hebræorum poëmatibus fieri notũ est. Nolo eos ad illam normam, quam in Poëtica præscribit Aristoteles, paulò alioqui strictiorem compelli. Ea enim tam remoti essent à poëta nomine, quàm Merrhæ & Siloam fluenta (vt est » in adagiis) seiuncta sunt. Non enim, inquit ille, histori» cum atque poëtam, carmen & soluta oratio designant: » quippe (quod alioqui facile factu sit) si Herodoti histo» ria carminibus pangatur, æquè nihilò minùs ac priùs sine » carmine erit historia. Vult præterea omnem orationem poëticam, vel laudationem esse, vel vituperationem. Adducit & alias leges, ad quarum amussim, si poëtam consyderare velimus, paucissima hercle poemata, & paucissimos fortasse poëtas hodie comperiemus. Nos tamen rem non ita exactè trutinemus: quin potius mediam quandam in poëta describendo viam teneamus, vt nobis ille iuxta Flacci sententiam poëta dicatur,

» Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os
» Magna sonaturum.

Sed ante omnia id obseruandum, ne poëmatis aut carminis appellatione quippiam dignum putemus, quod non priùs temporum, syllabarum, pedúmque congruẽtia certa ac definita quantitate multiplicetur, ac profluat. Nisi alioqui carminis nomen impropriè, atque in latiori significatione sumi intelligatur, veluti apud M. Tullium in oratione pro Muræna: vbi carmina formulæ quædam sunt conceptis verbis ad solennitatem aliquam compositæ. Hoc enim modo non tantùm rhythmus, sed ipsa quoque oratio soluta carmen appellari poterit, neque ea quidem omnis, sed aliqua. Atque idipsum pluribus videre licet

Carminis significatio apud Tullium

àpud Macrobium in Saturnalibus, & apud Ludouicum Cælium libro sexto antiquarum lectionum: vbi locum Liuij, in quo mendose legebatur, Lex horrendi criminis erat, Duumuiri perduellionem iudicet, sic restituit, vt pro criminis legendum sit carminis. Plura eiusdem generis exempla super hoc nomine apud eundem reperias. Illud ipsum etiam de vocabulo, versu, sentiendum, cuius significatio interdũ adeò latè patet, vt non tantùm cuiusuis orationis clausulam, sed & dictionem vnicam vel apud Ciceronem significet, vti videre est in Verrina tertia. Verùm tamen nos hic de alia carminum, in qua Bardi illi nostri quondam excelluerunt, specie sermonem suscipimus, quam longè angustiores leges coërcent, & à qua suam poëtæ sortiti sunt appellationem, atque inde summũ nominis splendorem ac decus consequuti. Est enim ποιητὴς Græcè carminum scriptor non quorumcunque, sed insignium, sed artificiosorum, sed certa quantitatis lege atque ratione definitorum. Id enim nominis ἀπὸ τοῦ ποιεῖν deducitur, quod, Eustathio interprete, inter cætera significat ἐμμέτρως γράφειν. Inde poëticum opus, quod nos poëma vocamus, nihil aliud esse intelligimus, quàm, vt rectè Possidonius definit in ea

Locus Liuij emendatus à Cælio.

Versus apud Ciceronem quid interdũ sonet.

Poëma quid.

» introductione quam de dictione scripsit, Dictio numerosa
» certa mensura constans, atque prosæ orationis speciem ex-
» cedens: vt, Maxima tellus, & Iouis æther. Poësis au-
» tem dicitur, quæ præter numerosam illam dictionem poe-
» ma est significatiuum, diuinarum, humanarúmque rerum
» imitationem complectens. Et hæc scitè annotauit Diogenes Laërtius libro septimo in vita Zenonis Cittici. Rhythmum verò, vt scribit Cicero de Oratore ad Qu. Fratrẽ,

Poësis.

Rhythmus.

„ *Vocamus quicquid ſub aurium menſuram aliquam cadit,*
„ *etiamſi abeſt à verſu, qualis* ῥυθμὸς *, vt idem ait, in Pla-*
„ *tonis locutione, quòd imitatius ferebatur, & clariſsimis*
„ *verborum luminibus vtebatur, à nonnullis agnoſcebatur.*

Nunc ſecum attentiùs perpendant noſtri illi vulgares poëtæ, quàm turpiter in ipſo portu impingant, dum arcem, vt Ciceronis formula vtar, ex cloaca facere, & lapidem è ſepulchro pro Deo volunt venerari: ſimúlque diſcant in poſterũ ſe certiori gnomone ac regula metiri: nec id poëma vocent, quod minimè poëma ſit, nec poëtam qui ex ignorantiæ faucibus vixdum pedem retraxit. Deſinant, inquam, incautioribus ſuos fumos venditare: quorum poëmata, ſi ad iuſtam normam examinentur, nihil minus quàm poëmata dicenda erunt, & quorum artem ſi ſpectemus, facilè videbimus quàm procul ſint à vero poëtarũ nomine ſubmouẽdi. AEquius ſanè, lõgéque tolerabilius foret, ſi ſe Rhythmicos, aut ῥυθμοποιοὺς*, hoc eſt rithmorum effictores & concinnatores vocitaſſent. At videntur ſibi perſuaſiſſe ad nomen poëtæ conſequendum ſatis eſſe, ſi quis nugas quaſuis, & mulierculárum fabellas, atque etiã laſciuas & impudiciſsimas aliquot cantillenas rhythmico ſermone conſcripſerit. Tota errant via. Cùm enim id fecerint, quid aliud tandem à doctis, quid à ſapientibus habebuntur, quàm id quod Ariſtophanes eleganter torquere ſolebat in aliquot ſui temporis blaterones inſulſiſsimos, qui ſe poëtas iactabant, quum hoc eſſent nomine indigniſsimi, eos videlicet* ἐπιφυλλίδας *appellãs, &* στωμύλματα*? Nam ſi veterum ſcripta paulò curioſiùs euoluerent, dubium non eſt quin omnino diuerſa docerentur ab iis quæ*

ſentiunt, atque auribus demiſsis ſe ipſos inciperent agnoſcere. Etenim doctiſsimum quemque ſic de poëtica prodidiſſe animaduertimus, vt ea ſit veluti prima quædam philoſophia, quæ omni doctrinæ vbertate refertiſsima ſit, quæque nobis ab ineunte ætate quodammodo vitæ rationem commonſtret, quid agendum, quídve declinandum iucunda quadam harmonia præſcribens, adeò vt nonnulli præſtantiſsimi ſcriptores dicere minùs addubitarint poëtam ſolum eſſe ſapientem. Propterea veteres noſtri Galli ſub Bardis ac Druidibus ſic inſtituebantur, vt ab ipſa pueritia magnum in primis verſuum numerum (quemadmodum à Iulio Cæſare atque aliis proditum eſt) ediſcerent, non quia ad aliorum inſtar populorum voluptatem quandam laſciuam ab eis toto impetu captarent, ſed vt optimis ſtatim imbuerentur. Nam & poëtas morum magiſtros dicere non dubitauit Ariſtoxenus, & poſt illum Lyricus noſter, cùm ait,

» *Os tenerum pueri, balbúmque poëta figurat,*
» *Torquet ab obſcœnis iam nunc ſermonibus aurem.*
» *Mox etiam pectus præceptis format amicis:*
» *Aſperitatis & inuidiæ corrector & iræ.*

Præterea non abſque graui ratione Ennius ſanctos illos appellauit. Ex quo nihil mirum, ſi non alium eſſe poëtam, quàm virum bonum & ſapientem ſtatuant eruditiores. Nam & Socrates ipſe, quem reliquis ſapientia præferendum putant, apud Platonem in Lyſide adeò poetas extollit & admiratur, vt eos ſapientiæ patres ducéſque nuncupare nihil vereatur. Et in dialogo, quem Ionem inſcripſit, nihil aliud eſſe poëtas dicit Plato, quàm

τῶν θεῶν ἑρμηνεῖς, id est Deorũ interpretes. Rursus in Phædro ostendit nequaquam hominum esse inuenta præclara poëmata, sed cælestia potius munera. Nec silentio prætereundum quod idem in Cratylo de recta nominum ratione scribens, dum scrutatur quinam sint verorum nominum doctores, irridet primùm sophistas, ipsos verò poëtas cumprimis censet audiendos, nec tamen quoslibet, etiam in triuio, sed diuinos, quòd à Diis hi planè vera, certáque rerum nomina didicerint, apud quos ea demum reperiantur. Longum esset adducere quantum eruditionis, quantúmque diuinitatis tot alij viri eximij in poëtis reposuerint. Hoc vnum pro comperto habeatur, illos olim veluti absolutißimum quoddam eruditionis ac sapientiæ exemplar cæteris fuisse. Quod optimè intelligentes nostri Galli, tanto honore suos afficiebant poëtas, vt diuinos eorum animos non secus amplecterentur, ac numina quædã recèns ex Olympo delapsa. Quinetiam adeò illos suspiciebant, tantáque & veneratione & reuerentia dignabantur, vt si duo infensißimi exercitus acie instructa pugnam commisissent, & in medium conflictum prodiissent huiusmodi vates, bellum illicò cessasset, & quisque, licet iracundia fremens, honorem poëtis quasi numinibus quibusdam exhibens, furori, ac iræ, quam in hostem conceperat, moderari studuisset. Sæpenumero etiam nostri maiores tanti eos fecerunt, vt vrbium suarum, & mœnium claues apud illos sine vllo timore deposuerint, coronísque aureis, & æreis imaginibus honorauerint. Quod & Athenienses suo Zenoni Cittico fecisse legimus. Porrò quòd ad nostros illos antecessores attinet, ne ista omnia tanquam

Quanti suos Bardos fecerint Galli.

nobis nimium Suffeni in eorum laudem commini∫ci exi∫timemur, audiamus quàm non ineleganter eorum mores, præ∫tantiam, atque authoritatẽ Diodorus ip∫e inter cæteros, quantumuis Græcus, & laureolam nonnunquam in mu∫tacis quærens, libro ∫exto de∫cribat. Cuius oratio
,, *Latinè reddita ∫ic habet: Sunt apud Celtas melodiarum*
,, *poëtæ, quos appellant Bardos. Hi cum organis veluti*
,, *cum lyra cantant, hos laudantes & alios vituperantes.*
,, *Itémque paulò po∫t: Sunt, inquit, hi poëtæ tanti apud*
,, *eos, vt cum extructa acie exercitus eductis en∫ibus, con-*
,, *iecti∫que iaculis propinquant, non ∫olum amici, ∫ed ho∫tes*
,, *quoque eorum interuentu à pugna conquie∫cant. Ita apud*
,, *agre∫tiores barbaros ira cedit ∫apientiæ, & Mars reueretur Mu∫as. Hæc Diodorus: qui vanitatem Græcam malignitati annexam retinens, et∫i no∫tros in eo admiratur quòd nihil dignius, nihil prius, nihil magis ∫u∫piciendum literis & doctrina habuerint, eos tamen barbaros, ∫i modò id contumeliosè dictum exi∫timandum e∫t, appellare nihil veretur, quum alioqui ante Græcos ip∫os & Mu∫as agnouerint, & optimas qua∫que artes pertractarint, illá∫que tandem rudi Græciæ, atque A∫iæ contulerint. De Bardo igitur, eiú∫que ∫ecta ∫atis hactenus. Sed nec tacendum eius filium Longonem optimis quibu∫que di∫ciplinis à patre in∫tructi∫simum ∫exto loco Celtis regio dominatu præfui∫∫e, in eáque maximè regione con∫edi∫∫e, quam nos Burgundiam appellamus recentiori vocabulo, atque inde Lingonas populos (quod ab Annio Viterben∫i, & Barptolemæo Cha∫∫aneo, atque aliis etiam multis annotatum e∫t) mutatione literæ o in i fui∫∫e nuncupatos:*

Longo rex Gallorũ Bardi filius.

Lingones cur dicti.

l. i.

adhæc extructam ab eo eius nominis ciuitatem, quam omni doctrinæ genere auctam reddidit, vt interim patris mores, qui semper religiosissimus literarum mystes fuerat, non malè retulisse dici queat. Proinde ridiculũ est, quod quidam Lingones à ligonibus dictos volunt, cùm nihil quod suam fulciat opinionem satis firmum habeant, nisi fortè rem ita sese habere putent, quemadmodum sibi in animo confinxerunt. Quæ nunc obiter dicta sint. Iam ex Ανακεφαλαίωσις. *his quæ hactenus adducta sunt, perspicuum esse potest, regnasse in Gallia antè quàm Græcia florere inciperet, quatuor præstãtissimorum genera philosophorum: nempe Samotheorum, Saronidarum, Druidarũ, & Bardorum, simúlque ab antiquissimis illis Gallis cultas fuisse cuiusque generis disciplinas, à Bardis quidem Rhetoricam, Poësim, Musicã, Diuinationẽ: à Druidibus Astrologiã, Disciplinam moralẽ, Physicam, Medicinã, Theosophiã, Poeticam (licet non tantis carminum generibus & myrothecis, vt postea sub Bardo illustratam) Arithmeticã, & Magiam: à Saronidibus itidem Theosophiam, necnon ab his extructas plerasque bonarum artium academias: à Samotheis autem non vnam atque alteram disciplinam, sed ferè cuiusque generis philosophiam. Quòd autem illi sermone Græco philosophati fuerint, testis est Cæsar commentariorum sexto, quo de paulò post latiùs dicemus. Ex quo trutinare licet quanta sit literaturæ Gallicæ antiquitas, quanta præstantia, quantus splendor, quanta admiratio, quantus denique philosophiæ cultus. Addo etiam quòd eloquentiam qua nec laudabilius nec præstantius quicquam excogitari potest, quòd hæc dicẽte Tullio, pacis*

ſit comes, otiique ſocia, & iam bene conſtitutæ ciuitatis quaſi alumna quædam, maximo ſemper in pretio noſtri habuerunt. Quod etſi poſtea, prout locus ipſe poſtulabit, apertiſsimis rationibus oſtendemus: obiter tamen ex Herculis noſtri Gallici effigie hoc loco poteſt indicari. Huiuſmodi enim virum facundiæ præſtantia inſignem terſæ ac politæ orationis apud Gallos authorem atque inuentorem maiores noſtri ſemper exiſtimarunt, non autem fabuloſum illum tot ſcriptorum libris inſertum Mercurium. Id autẽ ex Luciano rectè intelligi poteſt: qui Herculem ipſum à Gallis lingua gentis vernacula Ogmium vocari dicit, Deúmque ipſum noua quadam atque inuſitata figura apud illos depingi. Cuius authoris verba, quia ſcitè admodum & eleganter ab Eraſmo Latinè reddita ſunt, malo hìc Latina oratione quàm Græca citare, omnibúſque legenda proponere. Eſt, inquit, apud illos recaluaſter, reliquis capillis, ſi qui reliqui ſunt, planè canis, cute rugoſa, & in aterrimum exuſta colorem, cuiuſmodi ſunt Nautæ iſti. Charontem potius aut Iapetum quempiam ex his qui apud inferos verſantur diceres. In ſumma, quiduis potius quàm Herculem coniiceres ex imagine. Atque tali ſpecie quum ſit, tamen Herculis ornatum gerit, vt qui cùm leonis exuuium indutus ſit, tum clauam dextra teneat, tum pharetrã humeris aptatam portet, tum arcum tenſum læua prætendat. Denique modis omnibus Hercules eſt. Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum deorum contumeliam perperam facere Gallos, quum eiuſmodi fingerent effigie, quò nimirum illum talibus picturis vlciſcerentur, quòd olim in regionem ipſorum incurſaſſet,

Gallos ſemper eloquentiæ ſtudioſos fuiſſe indicat Herculis Gallici quondam apud eos ſimulacrũ. Huiuſmodi verò Herculis ſtatua miro artificio ſculpta Romæ conſpicitur in turri quadam, quæ à tẽplo diui Ludouici nõ procul diſtat. Atque eadẽ ferè eſt quæ depicta cernitur ſtatim in principio illi° Põponij Melę quod excuſsit Andreas Cratandrus Baſilienſis.

„ *prædas agens id temporis quum Geryonis armēta vestigās,*
„ *Occidentalium gentium plerasque regiones peruastaret.*
„ *At nondum etiam dixi id quod erat in imagine maximè*
„ *nouum, atque mirandum. Siquidem Hercules ille senex,*
„ *ingentem admodum hominum multitudinem trahit, om-*
„ *nibus ab aure reuinctis. Porrò vincula erant cathenulæ te-*
„ *nues auro, electróve confectæ, pulcherrimis istis monilibus*
„ *aßimiles. Atqui cum vinculis vsque adeò fragilibus du-*
„ *cantur, tamen neque de fugiendo cogitant, quum alioqui*
„ *commodè poßint, neque prorsus obnituntur, aut pedibus*
„ *aduersus trahentem obtendunt sese resupinantes, verùm*
„ *alacres ac læti sequuntur, ducentem admirantes, vltrò fe-*
„ *stinātes omnes, & laxatis funiculis etiam anteuertere stu-*
„ *dentes, perinde quasi grauiter laturi si soluerentur vin-*
„ *culis. Ne illud quidem pigebit referre, quod mihi videba-*
„ *tur omnium absurdißimum. Etenim quum non inueniret*
„ *pictor vnde cathenularum summas ansas necteret, videli-*
„ *cet dextra iam clauam, læua arcum tenēte, summam Dei*
„ *linguam perterebrauit, atque ex hac religatis cathenulis*
„ *eos trahi fecit. Ipse nimirum ad eos qui ducebantur vul-*
„ *tum & oculos conuertebat arridens. Hæc ego quum diu-*
„ *tius aßistens essem contemplatus, admirans, hæsitans, in-*
„ *dignans, Gallus, qui propiùs astabat, nostrarum litera-*
„ *rum nō indoctus (id quod declarauit, quum Græcanicam*
„ *linguā absolutè sonaret) philosophus, opinor, ex eo genere*
„ *philosophorū quod apud eos esse fertur, Ego tibi hospes,*
„ *inquit, picturæ istius ænigma explicabo: nam videre ve-*
„ *hementer ad eam attonitus ac stupefactus. Orationē nos*
„ *Galli nequaquam arbitramur esse Mercurij, quemad-*

» *modum vos Græci, verùm Herculi illam tribuimus, pro-*
» *pterea quòd hic Mercurio longè robustior extiterit: nam*
» *quòd senex fingitur, nihil est quòd mirere, siquidem vna*
» *facundia consueuit in senecta demum absolutum vigo-*
» *rem ostendere, si modò verum vestri dicunt poëtæ,*
» *Obduci iuuenum densa caligine pectus.*
» *Ast è diuerso longè meliora senectam*
» *Dicere & effari rudiori posse iuuenta.*
» *Hinc videlicet apud vos & Nestoris lingua profluit,*
» *& Troianorum concionatores Lirioëssam edunt, vide-*
» *licet floridam quandam vocem. Nam liria, si satis com-*
» *memini, flores appellantur: proinde quòd ab auribus*
» *vinctos ad linguam trahit senex hic Hercules, qui non*
» *aliud quàm ipse est sermo, ne id quidem debes admirari,*
» *qui quidem non ignores linguæ cum auribus esse cogna-*
» *tionem. Neque verò ad contumeliam illius illud perti-*
» *net, quòd ea pertusa est: nam memini, inquit, & Iam-*
» *bicos quosdã versiculos è comœdiis apud vos dicere, Si-*
» *quidẽ viris eloquẽtibus extrema lingua perforata est om-*
» *nibus. Quin de eodem hanc in summa habemus opinio-*
» *nem, vt quicquid egit oratione facundiáque confecisse pu-*
» *temus, vtpote virum sapientem ac persuadendo pleraque*
» *sibi subegisse. Iam tela illius nimirum rationes sunt acu-*
» *tæ, mißiles, citæ, atque animũ sauciantes, vnde pennigera*
» *dicta. Hactenus Gallus. Isthæc opinor, satis indicant elo-*
quentiam à nostris plurimi habitam, eámque non à Græ-
cis, vt multæ eorum fabulæ narrant, profectã: sed à Gal-
lorum potius Hercule, qui virtute & consilio præstans
dißipatos vnum in locum congregauit, eósque ex fero-

Vetustißimi cuiusdã poëtæ Iambicum est à Luciano citatum.

citate quadam ad iustitiā atque māsuetudinem transtulit, & inuēto diuino & humano iure mœnibus sepsit. Et cùm nos Græci quidā (tametsi eiusmodi pauci sint, nam multi eorū nostros admirati sunt) barbaros & agrestes appellent, vix tamen id ab eis per contumeliā factū mihi persuaserim, cùm nonnulli etiam sint, iidémque inter eos grauissimi, qui dissimulare omnino nequiuerunt, quin ab eisdem barbaris & philosophiam manasse, & literas faterentur, vt Sotion, vt Aristoteles in Magico, vt iam citatus Diogenes Laërtius, vt alij plerique. Quòd si quis hìc hæsitabundus roget, ac nosse cupiat quonam pacto ex Gallia trāslatæ sint primùm in Græciam literæ, aut quisnam eas è Celtis in Achaïam attulerit, huic nouimus interrogationi satisfacere. Volumus enim docere quomodo eò perlatæ sint à nostris, ac ne id quidem illis admodum factu fuisse difficile: itémque non aliunde Cadmū ipsum tot tantísque scriptorum paginis decantatū suas habuisse literas, quàm ab eisdem Celtis nostris siue Galatis bonam Asiæ partem occupantibus. Atque id certioribus veterum monumentis facilè ostendemus, mox & grauissimorum quorundam authorum sentētias & rationes, quæ nostro faueant proposito adducturi. Quæ sanè omnia quum vix sine magnis ac longissimis verborum & historiarum inuolucris fieri posse videantur, dabimus tamen operam vt quàm paucissimis fieri poterit, rem totā perstringamus: ita quidem stylum nostrū accōmdantes, mediáque incedētes via, vt nec in polylogiam videamur erumpere, nec rursus in laconismum, plus quàm deceat, relabi.

IOANNIS PICARDI TOVTRERIANI DE PRISCA CELTOPÆDIA liber Tertius.

INAVDITVM fortaſſe nõnullis prima fronte, & quaſi paradoxum videbitur, ſi Græciam, de cuius antiquitate pauci admodum ſubdubitarunt, ab antiquiſsimis Gallorum populis, qui nõ modò Atticas ac Macedonicas plagas, verùm etiam vniuerſum penè Orientem latè quõdam occupauerũt, primùm illuſtratã fuiſſe, & præterea ab eiſdem maioribus noſtris plurimas habuiſſe literas, adeò vt illa tam eruditionis quàm primæ ſuæ claritatis nomine multum nobis debeat, contendere, necnon certioribus literarum monumentis oſtendere conſtituam. Verùm ſi quis rem ad amuſsim perpendere voluerit, & inclytos atque elaboratos eorum, qui quanta potuerunt fide ac diligentia deſcriptas nobis hiſtorias reliquerũt, libros paulò circunſpectius rimari: non dubito quin facilè cùm aliorum permultorum lectionibus, tum maximè Platonis Timæo, & Thucydide longè cæteris in hiſtoria præferendo admoneatur ipſorum Græcorum antiquitatem aut nullam ferè eſſe, aut certè tantam non eſſe credendam, quantam Mythologici quidam ſuis confinxère ſomniis: qui literas, atque adeò ipſum genus humanũ ex Attico ſolo principio

manasse tradiderunt. Quin etiam propiùs intuentibus difficile non erit intelligere id quod nunc omnium ob oculos ponere nobis in animo est: nẽpe & Achaïam primùm à maioribus nostris habitatam, & literas vnà cum hominibus ipsis ex Gallia nostra illuc translatas fuisse: atque eas quidem si non tanta abundantia & celebritate, saltem aliquatenus ab eisdem propagatas. Accedit quòd huiusce rei fidem facient quàm plurimæ dictiones olim quidem merè Gallicæ (vt apertißimis authorum grauißimorum testimoniis indicabimus) nunc autem merè Græcæ, & in solo Græcismo pro varia temporum conditione perseuerantes, planéque longa desuetudine à noua illa Gallicæ loquutionis consuetudine ita remotæ, vt illas hodie Gallia tanquam suas nequaquam poßit agnoscere. Quæ omnia vbi tum historiis, tum etiam rationibus aliquot confirmauerimus, paucos existimo futuros etiam ex iis qui nimium peruicaces habentur, qui vel vltrò scriptis meis album non addant calculum. Ostendamus igitur ante omnia tam Græciæ quàm totius propè Orientis regiones primùm à Gallis cultas fuisse ac possessas, reliqua deinceps suo loco, prout res postulabit, persequuturi. In primis igitur causæ nostræ non malè suffragabitur quòd Ptolemæus libro quinto, Achaïæ (nã sic ille Græciã vocat) rigionem à nonnullis Gallorũ populis aliquando possessam scribit. Huc etiam pertinet quod asserit Solinus in libro qui Polyhistor inscribitur, Galatiam videlicet seu Gallogræciam primùm à Gallorũ populis fuisse habitatam. Solini verba sunt: Galatiam primis seculis priscæ Gallorum gentes occupauerũt Tolistobogij (hi à Stephano Tolistobij

,, *dicuntur)* & *Voturij, & Ambiani: quæ vocabula adhuc*
,, *permanent, quamuis Galatia vnde dicta sit, ipso sonat*
,, *nomine. Modestis viris, minimeque peruicacibus posset vel sola hæc sufficere auctoritas, ad ostendendum & idioma & scientiam nostrorum vnà cum ipsis hominibus primùm in Gallogræciam fuisse translata, atque inde ob regionum vicinitatem, tam ipsi Græciæ quàm alijs etiam populis communicata. Nam si prisci Gallorum populi, quos nunquam ferè sine literis ac philosophia vixisse superiùs satis fuse ostensum est, eam regionem primitùs occupare cœperunt, quis dubitabit & eorum mores, & literas, & vitæ instituta ibidem fuisse ab his disseminata? Id etiam aliquantò clariùs ex rege Galate (à quo regio nostra & Gallia & Galatia, teste Diodoro, vocata est) perspici potest, qui præter Sarmatas, Asiam quoque minorem, quæ hodie Turcarum patria est, sibi reddidit subditam, leges, mores, denique & literas à Gallis profectas in ea latè propagans. Quod certè non parum Manethonis sacerdotis & Chronologi AEgyptij authoritate confirmatur. Is enim in opusculo, cui Supplementum ad Berosum inscriptio est, Galatem Olbij filium duabus maximè rebus illustrem facit, primùm quidem quòd Sarmatiam suo adiunxerit imperio, deinde quòd Galatas in Asia cõdiderit.*

Gallos & Græciam & Macedoniam occupasse docet Iustinus cùm multis locis, tum lib. 24.

" *Eius verba sunt, Regnauit, inquit, apud Celtas Gala-*
" *tes iunior, qui vicit Sarmatas, & condidit Galatas Asiæ. Cæterùm de qua Sarmatia locus ille sit intelligendus, an de ea quam Ptolemæus libro tertio in Europa reponit, & à Septentrione Oceano terminatam dicit, quæ hodie Russia & Tartaria esse creditur, an verò de altera quã idem*

in Asia collocat, & quæ à Septentrione terra incognita terminatur, scrupulosis antiquitatum indagatoribus disquirendum relinquo. Nec tamen silendum puto quemadmodum ille tam in Asia, quàm alibi ciuitates & colonias quàm plurimas, & ex his quidē nō paucas quæ patris sui Olbij nomen ac memoriā retinerent, extruxerit. Harum nonnullæ à Ptolemæo & Strabone commemorantur: vt sunt Olbia quæ in Tartaria est ad fauces fluuij Borysthenis, & Olbia quæ in Cilicia est minoris Asiæ prouincia, & Olbia in Pamphylia iuxta Cataracten fluuium, & Olbia in Bithynia in extremo Ascanij sinus extructa, & Olbiapolis in Gallia Narbonensi. Alias omitto quæ in Sardinia & Sarmatia magna, aliísq; locis quibus latè imperabat Galates, sitæ sunt: in quibus omnibus tam literarum quàm hominum è nostris profectorū maximam fuisse frequentiam certum est. Hæc etiamsi nihil aliud præterea adduceretur, bene compositis animis fidem facere possent. Sed curiosis, quoad fieri potest, satisfaciendum.

Ciuitates multæ Olbij Gallorum regis nomen retinētes.

Vt igitur rerum veterum monimēta scrupulosiùs perscrutemur, qui in historiographorum lectionibus satis optimè versati sunt, perspectissimum habent Celtarum populos præ cæteris nationibus hominum fœcunditate quondam fuisse auctissimos: tantáque priscis illis seculis incolarum multitudine abundasse, vt, authore Iustino, his quibus geniti fuerant terris, capi omnes non possent. Hac de causa postquam adoleuerant, habito frequenter inter eos delectu, è natali solo ad alias regiones inquirendas tanquam extorres mittebantur à suis: haud secus ac fieri videmus in noua apum sobole, quam parentes ex propriis aluearibus

Celtarum regio hominibus quondā refertissima.

ad nouas sedes quærendas exire cogunt. Quod quum nostri tanquam examina apum aggregati persæpe fecissent, effectum est vt scientiam, optimásque artes, quas in Gallia sub quatuor summis philosophorum generibus cultas, vel ab ipso ferè secundæ mundi ætatis initio superiùs demonstratum est, ipsis ad quas accedebant regionibus cõmunicarent. E finibus autem propriis exeuntes, solebant quasi semper Orientales plagas repetere, quòd hæ tunc temporis multis in locis partim incultæ essent, partímque à rudibus incolis possessæ, à quibus etiam orta inter eos dissensione nostri sæpissimè in auxilium conuocabantur. Cúmque illis temporibus Asiæ minoris atque Græciæ tractus inculti essent, aut saltẽ ab externis, & nescio quibus agrestibus μίγασι [illegible] habitati (vt ex Thucydide in bello Peloponnesiaco, & Herodoto constat) eò frequentiùs quàm aliò montium asperitate perdomita nostri Celtæ diuertebant. Quod cum crebriùs ab eis factum esset, tanta deinde per totum Orientem erat Gallicæ virtutis admiratio, vt auditis eorum armis nemo in maximum non adduceretur stuporem ac metum: nec Europa tantùm, sed & Asia tota formidine quateretur, quotiescunque Gallorum aduentus, qui velut procella quædam omnia sine discrimine proculcabant, denunciaretur. Vnde & reges qui nondum lacessiti erant, metu quasi perculsi solebant ingenti pecunia pacem ab ea gente mercari. Atque hoc per multos quidem annos vsque ad Belouesi ducis tempora, cuius meminit Liuius, factitaum est. Qui & ipse collecta Celtarum ingenti manu, alpes transcendit. Vtque historiam paulò fusiùs explicemus, Ambigatus, qui

Mira de Gallis.

m. ij.

Belloue∫us et Sigoue∫us Ambigati nepotes.

tunc latè Gallorum regnum obtinebat, duos ex ∫orore nepotes Belloue∫um ∫cilicet, & Sigoue∫um cum magnis ac potentiβimis exercitibus alias ∫ibi terras quærere iuβit, quòd ip∫e Galliæ ∫itus, eius quàm produxerat hominum multitudinis, minùs e∫∫et capax, oporterétque aliis ∫uccre∫centibus cedere. Itaque illi auũculi parentes imperio, prouinciarum Gallicarum milites inter ∫e partiti ∫unt. Sigoue∫us quidem Nemetes, Tribotes, Treuiros, Menapios Eburones, Mediomatrices, denique & eos omnes qui ad ∫yluam Herciniam protenduntur populos, ac milites gregarios ∫ortitus e∫t. Cum quibus peragratis Illyricorum & Pannonum finibus, in Græciam, atque A∫iam minorem irruperunt, ibidémque con∫ederunt. Belloue∫us verò Aruernos, Byturiges, Rhemos, Andegauen∫es, Senones, Carnutes, Heduos, Lingones, Mandubios, & alios ∫ecum traxit. Qui alpium iuga facilè nullis omnino re∫i∫tentibus penetrarunt. Iam enim ante annos plurimos maiores eorum Celtæ illas ip∫as regiones ∫uo adiunxerant imperio. Et cùm latè in circumpadanos funderẽtur campos, effectum e∫t vt quicquid terræ inter Apenninum & Alpes iacet, v∫que ad Adriam ∫ecundum Europæ ∫inum, inter Lacinium Italiæ, & Acroceraunium Epiri promontorium ab ip∫ius gentis inhabitatione in hunc diem à Latinis ∫criptoribus Gallia Ci∫alpina, à Cæ∫are Gallia citerior ∫it nuncupata. Effectum quoque e∫t, vt retento ∫emper Gallorum nomine, pars illa minoris A∫iæ, in qua no∫tri con∫ederant, Gallogræcia, & Galatia nuncupata ∫it, eius verò incolæ, Galatæ & Gallogræci: ad quos hodie diui Pauli extat epi∫tola. Nec enim tantummodo

Italiam Galli, multitudine abundante, relicto natali solo inuaserunt, verùm etiam Græciam impleuerunt, Macedoniam occuparunt, in Mæonia, & Bithynia, & Pamphylia fixa sede quieuerunt: ipsámque Asiã cùm multoties, tum postremò sub duce quodam Leonorio ingreßi sunt. Addo etiam quòd nullis repugnantibus historiographis in Bebryciam siue Mygdoniam, quæ Troadi, seu Phrygiæ minori proxima est, à Bithyniis aliquando in auxilium vocati magno venerunt impetu, ibique perdomitis Bithyniorum hostibus difficile nostris non fuit regnum, aut saltem regni partem tenere atque occupare, eámque ad instar maiorum ita administrare, vt citra magnam repugnantiam ipsorum legibus parerent indigenæ. Sæpißime autem in Achaïam ipsam, atque alias regiones eidem finitimas Gallos irruisse, necnon ibidem consedisse confirmarũt Plinius libro quinto, Ptolemæus tabula Asiæ prima lib.5. & Iustinus pluribus locis. Meminit & longa oratione T. Liuius libro octauo decadis quartæ. Cuius verba ne in immẽsum crescat opus, hìc cõsultò pretermittimus, studiosúmque illuc lectorẽ censemus remittendum. His quoque consentit Strabo, qui libro quarto scriptum reliquit Tectosages è Narbonensi, (illi etenim in Asia minore diutißimè regnarunt, & ex iis Tectosagibus illos esse constat, quos Manlius Romani exercitus princeps in Gallogræcia strauit, triumphúmque retulit, quemadmodum annotauit diuus Augustinus in De ciuitate dei) Telistobogios verò, & Trocinos è Celtis Galliæ profectos Phrygiam Cappadociæ & Paphlagoniæ vicinam occupasse: tanto siquidem olim hominũ robore Galli valuerũt. Fręclara Gallorũ trophæa

Vt autem omnibus innotescat quanta præteritis seculis fuerit Galaticarum mulierum fœcunditas, ecce rursum vix ducentesimo anno post eos qui sub Belloueso & Sigoueso partim in Græciam transuecti fuerant, partímque aliò, recentißimi alij è Senonibus progeniti, relictis propriis finibus in Galliam illam, quam nos Transalpinam vocamus, penetrantes, Hetruriam peruadunt, eorúmque multi in Græciam traiiciunt. Enimuero immensa vis Celtarum bipartitò ex Gallia vno tempore profecta veterum annalibus memoratur. Nec minor erat numerus quàm millium trecentorum. Pars vna Brenni ductu partem illam, quæ ad mare Adriaticum vergit, diu incoluerunt, Brennonámque ædificarunt, quæ nunc Venetorum vrbs est, & quam mutatione quarundam literarum Veronam postea nuncuparunt. Nec tacendū quòd vis illa Senonum Romanum exercitum apud Alliam fluuium profligauit, deinde ad vrbem profecta, eandem cœpit, atque exußit, quod pluribus videre licet apud Plutarchum in vita Camilli. Pars altera Hircinios saltus transgressa per Illyricum agrum (quem nos hodie Sclauoniam vocamus) in Pannoniam rectà penetrauit: eáque armis subacta, diu haud vnius regni opibus contenta cum finitimis vario euentu præliatur. Multis inde successibus super alios elati populos, duplici iterum agmine digreßi sunt: quorum pars hæc in Græciam, illa in Macedoniā perrexit. Tanta illis temporibus conspiciebatur illic Gallorū affluentia, vt iam ex proprio loco in Orientales plagas translata videretur ipsa Gallia. Illi enim vel nouas sibi acquirebant prouincias, vel nouis sine magno

Brēnona seu Verona

ſudore aut ſanguine donabantur, vel certè diſturbatos è ſuo ſtatu reges priſtinæ reſtituebant dignitati. Quod ex Antiocho, qui Hierax cognominabatur, Antiochi Tei Syriæ regis filio, cognoſci poteſt. Hic enim pace inita inter Ptolemæum Euergetem Berenices fratrem, & Seleucum, quem fratrem vnicum habebat, non tulit vt tota regni adminiſtratio ab vno Seleuco penderet. Vnde & ipſe partem ambiens, aut etiam totum, ſi liceret, minimo negotio voti compos factus eſt, vſus ſcilicet ad hoc opera atque induſtria Galatarum, id eſt Gallorum illorum qui iam ante annos aliquot in Græciā perducti fuerant, quique longiùs iam in Aſiam profecti quibuſdam agris & vrbibus donati fuerant, quaſdam etiam vi occuparant & ipſi. Quæ omnia, aliáque permulta quum eleganter nec minus dilucidè à Iuſtino deſcripta ſint, non abs re fuerit quædam illius verba hunc in locum transferre, ne quis me iſthæc tanquā ἀνεμοφόρητα inuexiſſe cogitet. Gal-

Antiochus Hierax Gallorum beneficio regno restitutus.

» *li, inquit, abundante multitudine cùm eos non caperent*
» *terræ quæ genuerant, trecenta millia hominum ad ſedes*
» *nouas quærendas velut peregrinatum miſerunt. Ex his*
» *portio in Italia conſedit, quæ & vrbem Romam captam*
» *incendit: & portio Illyricos ſinus ducibus auibus (nam*
» *augurandi ſtudio Galli præter cæteros clarent) per ſtrages*
» *Barbarorum penetrauit, & in Pannonia conſedit: gens*
» *aſpera, audax, bellicoſa: quæ prima poſt Herculē (cui ea*
» *res virtutis admirationē & immortalitatis fidē dedit) Al-*
» *piū inuicta iuga, & frigore intractabilia loca tranſcēdit.*
» *Ibi domitis Pānoniis permultos annos cum finitimis varia*
» *bella geſſerunt. Hortāte deinde ſucceſſu agminibus diuiſis*

,, *alij Græciam, alij Macedoniam omnia ferro proterentes*
,, *petiuere: tantúsque terror Gallici nominis erat, vt etiam*
,, *reges nondum lacessiti vltrò pacem ingenti pecunia mer-*
,, *carentur. Rursus libro vicesimo quinto ita scribit: Ea tē-*
,, *pestate Gallorum iuuentus tantæ fæcunditatis fuit, vt*
,, *Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique*
,, *neque reges Orientis sine mercennario Gallorum exercitu,*
,, *vlla bella gesserunt, neque pulsi regno ad alios quàm ad*
,, *Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis, siue*
,, *armorum inuicta fælicitas erat, vt aliter neque maiesta-*
,, *tem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine*
,, *Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium à Bi-*
,, *thyniæ rege inuocati, regnum cum eo parta victoria di-*
,, *uiserunt, eámque regionem Gallogræciam cognominaue-*
,, *runt.* *Ex his omnibus nemo non intelligit Græciam, imò & bonam Asiæ partem habitatam à nostris fuisse. Paucula quædam de his inter recentiores annotauit* [redacted] *in suis Chronicis. Sed imprudens ille ausus est asseuerare Galatas illos Germanos fuisse, & ex Germaniæ regionibus à Brenno collectos. Quæ opinio quàm falsa sit, quámque iniqua, iudicent viri boni, iudicent & hi quibus mens sana est & bene composita, quíque in bonorum authorum lectionibus nō sunt malè exercitati. Nullum planè historiographum suæ opinionis vel authorem vel fautorem, nullam cui innitatur rationem, nullum denique cui fixus insistat scapum habet* [redacted] *Nam nec id sentit Ptolemæus, nec Strabo, nec Solinus, nec Plinius, imò nullus eorum qui habentur inter verè eruditos. Cōstat enim eos qui duce Brenno in Asiam vsque peruenerant*

fuiſſe Senones, quanquam & nonnulla è Belgis agmina eò penetraſſe negandum non eſt. Atqui Senones antiquiſsimos Celtarum populos eſſe, Pariſiis, Carnutibus, & Lucenſibus finitimos, tam vulgare eſt, támque commune, vt ſua cuique domo ſit notius. Quare manifeſtò liquet quàm parũ cõſyderatus ea in re fuerit Carion. Quòd autẽ ſubiicit vno eodémq; vocabulo Germanos & Gallos à Græcis appellatos fuiſſe Celtas, auditũ id fuit antè quàm Theognis (vt Lucilij verbis vtar) naſceretur: atque hoc omnino extra chorum eſt. Neque enim inficiamur apud Ariſtotelem Celtarum nomen indiſcriminatim quandoque pro vtraque ſimul gente, quandoque pro altera tantùm vſurpari, aut certè vſurpatum videri: veluti in libro περὶ ζώων ἱστορίας, θ. *vbi de aſinis loquens ſic ait,* Ἐν τῇ ἰλλυρίδι, ἐν τῇ θρᾴκῃ, καὶ ἠπείρῳ, ἐν δὲ τῇ σκυθικῇ, καὶ κελτικῇ ὅλως οὐ γίγνονται. *Sunt & alij apud eundem loci tum in Politicis, tum alibi, quibus iſtuc quodammodo confirmare liceret. Quanquam me non latet huiuſmodi locos à doctis aliter atque aliter explicari: qui ingenuè pronuntiant vix apud vllum ex optimis Græcorum authoribus, vnico Ariſtotele excepto, de cuius reconditiori ſenſu & intelligentia adhuc ambigitur, hoc nomen Celtarum pro Germanis legi: eáque in re & Ariſtoteli & aliis, ſi qui fortè alij ita ſenſerint, ignoſcendum, quibus Germani per multa annorum interualla fuère incogniti, hac quidẽ ratione, quòd nulla ferè ipſis cum reliquis nationibus commercia fuiſſe comperiamus, nec cæteras item nationes magni eos feciſſe, præſertim cũm tunc patria illa, vt ex Cæſare atque aliis licet colligere, eſſet informis terris, aſpera cælo, triſtis cultu,*

horrida aſpectu, neque cuiquam ob duros & agreſtes incolarum mores magnopere expetenda. Econtrariò verò Gallia noſtra ſemper & clara prænituit, & extraneis etiam populis fuit cognitiſsima. Hinc dicit ſe opinari Strabo Gallos à Græcis Celtas fuiſſe appellatos ob eorum claritatem. Nec mirum ſi Græcis diu incognita fuerit Germanica illa regio, quum de ea per annos multos nihil ferè compertum habuerint ipſi Romani, nouarũ alioqui terrarum ſemper mirum in modum cupidi: quòd ſi quid fortè nouerint, id accideret vel propter viuendi ritus & mores, quos cum Gallis habebant communes, vel propter crebras irruptiones & contentiones ipſorum cum Gallis vicinis, nimirum cùm aut ſuis eos prohiberent finibus, aut ipſi in eorũ finibus bellum gererent. Vnde & Germanorũ nomen à Romanis primùm inuentũ eſt: quoniã, vt auctor eſt Strabo, vbi Rhenũ deuictis Gallis tranſgreſsi fuiſſent, vidẽtes eos Gallis omnibus ferè in rebus perſimiles, Germanos eos, hoc eſt fratres Gallorum eſſe exiſtimauerũt. Strabonis ſentẽtia Latinè reddita fermè hunc

Celtæ ob claritatẽ ita nũcupati.

Germani cur ſic à Romanis dicti.

*„ in modũ habet: Regionem, inquit, trans Rhenũ ad ortum
„ vergẽtem Germani colũt, nationem Galliã pauliſper imi-
„ tantes & feritatis abundantia, & proceritate corporum,
„ & colore flauo, cum reliquis in rebus & forma, & mo-
„ ribus, & viuendi ritibus Gallis omnino ſimiles exiſtant.
„ Ideo Romani hoc illis nomen iure indidiſſe mihi viden-
„ tur, perinde ac eos fratres legitimos Gallis eloqui volue-
„ rint. Legitimi namque fratres Romano ſermone Germani
„ intelliguntur. Gallos verò Græci dixêre Galatas. Hic vel
Germanis liceat intueri quãtùm à ſcopo veritatis aberret*

ſuus ille hiſtoriographus, dum Galatarũ nomen ad Germanos transferre nititur. Poſſem hoc loco, ſi vellem, genus eorum aduentitium, & veluti ἔπηλυ eſſe oſtendere. Nam ſcribit Agathius Græcus auctor hunc in modum,
„ Allemani, inquit (ſi Aſinio Quadrato viro Italienſi fi-
„ des præſtanda eſt, qui Germanorum res diligenter per-
„ ſcripſit) aduentitij ſunt: quod ſanè eorum cognomento
„ præfertur. Hæc ille, aliáque multa libro primo de bellis Gothorum. Verùm quia id non magni noſtra intereſt, nec ad præſens negotium magnũ habet momentum, miſſum facere præſtiterit, ne, quod Plutarchus ait, ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα θεῖναι ὁρῶμαι. Vobis non inuideo ô Germani, nec veſtro quicquam generi detraho, quod & antiquiſsimũ intelligo, & eodem ferè tempore quo in Gallia ſceptrum tenebat Samothes à Tuyſcone Germanorum progenitore illuſtratum fuiſſe oſtendi poteſt. Niſi tamen ſubuentanea parienti occurreretur, noſtra ipſorum cauſa quodammodo heteromolia videretur. Hæc profectò de Germanis nobis obiter dicenda fuerunt, quò oſtenderemus genus eorum diutiſsimè veluti in tenebris latuiſſe, cùm è diuerſo Gallorũ virtute ac rebus geſtis plena fuerint omnia. Proinde haudquaquã ſatis conſyderatus Carion qui eorũ facta ſuis auſus ſit attribuere. Negamus enim per Galatas Germanos ſimul & Gallos, aut Germanos tantùm (quod hic exiſtimauit) communi, vel etiam peculiari nomine vſquam intelligi, vt ex allata modò Strabonis ſententia noſſe non eſt difficile. Quanquam enim Cæſar à Diodoro Galatas vltra Rhenum habitantes in poteſtatem redegiſſe ſcribatur, attamen neminẽ tam malè in hiſtoriis verſatũ

Tuyſcon primus Germanorum rex.

arbitror, qui nesciat Gallis olim in vlterioribus Rheni partibus (vt etiam à Cæsare ipso scriptũ est) multas fuisse colonias: ac proinde mirum nõ videri, si communi nomine Galatæ vocẽtur, cùm ex ipsa Gallia essent oriundi. Quòd autem idem Diodorus paulò pòst in illam Carionis sententiam deflectere videatur, dum Cimbris siue Cimmeriis quod nostrorum Celtarum fuerat adscribit, incertum planè est & vacillans, nec satis exploratum, maximè cùm tot alij supersint historici, qui omnino dissideãt. Quod idem eodẽ loco satis innuit, Nunc, inquiens, quod à multis ignoratur, scribetur. Quæ verba satis indicãt huiusmodi narrationem, potius opinionem aut aliquorum fuisse commentum, quàm veram ac certam historiam. Proinde audacter hoc loco inficiamur ex mutatione vocis pro Celtis Galatæ nomenclationẽ factam esse: quis enim tam hebes qui fictã illã vocis ac literarũ transpositionẽ ridiculam esse nõ videat? Quin potius Liuio isthæc nõ obscurè, nec indiligenter describenti nobis credendum fuerit, qui
„ *libro quinto ab vrbe condita, Celtarum, inquit (quæ pars*
„ *Galliæ tertia est) penes Bituriges summa imperij fuit. Hi*
„ *regem Celtico dabant: Ambigatus is fuit. Vide quàm exactissimè rem distingat, quàm apertè, quàm dilucidè: vt hæc non nisi de nostris intelligi possint. Postea de Belloueso Ambigati nepote loquens, quem auunculus ipse in Italiam missurus erat ad nouas habitationes sibi suisque*
„ *occupandas: Is, inquit, quod eis ex populis abundabat,*
„ *Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Car-*
„ *nutes, Aulercos exciuit. Mox & de transitu cæterorum*
„ *Gallorum in Italiam subiungens. Deinde Boij, inquit,*

„ Lingonésque transgreßi, quum iam inter Padum atque „ Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto non He- „ truscos modo, sed etiam Vmbros agro pellunt: intra Apē- „ ninum tamen sese tenuêre. Tum Senones recentißimi ad- „ uenarum ab Vsente flumine vsque ad Athesim fines habuêre. Hæc, aliáque multa in rem nostram Liuius. Non potuit res, opinor, meliùs discuti. Igitur Senones illos, seu Celtorios, qui Romam inuaserunt, qui tot, támque præclara infinitis penè locis edidère facinora, nemo Germanos esse credat, nemo etiam (quod à nonnullis existimatū est) Boïos, tametsi hi, teste Plinio, iuxta Padum diu consederint, ac deinde in Germaniam sese recipientes, vt author est Strabo, Hercyniæ sylua partem Pannoniis proximam tenuerint, necnon trans Rhenum latè imperauerint, medium fermè Germaniæ tractum incolentes: quæ regio, authore Tacito, ab eis primùm Boiohemia, posteáque abiectis aliquot literis Bohemia dicta est. Beatus Rhenanus Selestadiensis in eo libro, quem de rebus Germanicis diligenter scriptum nobis reliquit, nostræ sententiæ omnino suffragatur, noluítque suis Germanis, quos alioqui sæpenumero oblata occasione ad sydera tollit, tātum tribuere, vt eos Celtarum seu Gallorum vocabulo comprehendi existimauerit intelligendum, vel in eos reclamante huic rei conscientia nostrorum laudes congerere voluerit. Proinde nobis succinens scribit hunc in modum: „ Tacitus, qui sub Vespasiano militauit, in Germaniis pro- „ uinciis, & sub Traiano ad scribendum se contulit, vt sit „ nobis verisimile, ac Liuius hoc paulo vetustior distinctè „ de populis loquuntur, neminem appellantes Gallum, nisi

Bohemia vnde id nominis sortita sit.

,, *qui institutis, sermone, moribus denique Gallus dici me-*
,, *reatur. Et postea, Proinde, inquit, satis admirari non pos-*
,, *sum ambitiosos illos Germanorũ dilaudatores, qui etiam*
,, *Senonum Gallorum speciosos triumphos studeant vendi-*
,, *care Germaniæ, hoc tantùm prætextu quòd Celtarum*
,, *vocabulum amplum sit: & quòd Senonum, Sueuorum*
,, *meminerint Chorographi. Satis laudum habet Germania*
,, *quantum ad bellicam gloriam attinet, etiamsi suas Gallis*
,, *nulli suffuremur. Videte, Germani, quanta sit & mode-*
stia & æquitate vester ille non immeritò à plerisque vestrum ipso eruditionis nomine commendatus Rhenanus, qui turpe ducens ἀλλοτρίοις βλαυτίοις χρῆσθαι, *vix adduci posse videtur vt credat eodem nomine Germanorum simul ac Gallorum appellationem designari. Ac si quis id ipsum rectiùs confirmatum velit, nunquam Berosus aliorum omnium scriptorum (Mosem semper excipio) antiquißimus eodem vnquam nomine gentem vtramque designauit: quippe qui nos Celtas semper vocitet, Germanos verò Tuyscones ab illo suo rege Tryscone. Idem facit Manethon sacerdos AEgyptius, qui ea quæ in Berosi historia desyderari videbantur, suppleuit. Quòd verò ad nos attinet, præter ipsam Gallorum* ὀνομασίαν, *varia nomina sortiti sumus. Celtarum enim nomen habuimus à Ioue Celte, qui nonus regno Gallico præfuit, Luci filio. Qua in re quantum fidei Appiano qui Celtas à Celto quodam Polyphemi filio cognominatos putat, tribuendum sit, viderint eruditiores. Hi etiam Celtorij ab eodẽ Celto, cuiuscunque fuerit ille filius, dicti sunt à Plutarcho. Is enim in vita Camilli* κελτορίους καὶ σένονας *vrbem cœpisse scri-*

Celtarum nomen vndenã profectum.

bit, quod & Polybius asserens solo variat nomine, γάλατας illos appellans, vt hinc discant Germani validum illum Brenni exercitum ex Gallis nostris coaluisse, non autem Germanis, nec in Germaniæ vrbibus collectum. Quin & illi nostri Romanæ vrbis occupatores eodem tractatu à Plutarcho non tantũ Celtorij & Senones appellati sunt Celtorij. *sed etiam οἱ γάλαται τοῦ κελτικοῦ γένους ὄντες. Porrò Galatæ nũcupati sumus ab vndecimo rege nostro Galate, Herculis* Galatæ vnde dicti. *Celtici filio. Siquidẽ ipse Hercules errabundus vt à Diodoro scriptum est, deuicto Geryone immanis ac deformis staturæ gigante, in Galliã iter parauit, vbi postea ex virgine quadam quæ Galata dicebatur, illius loci, ad quem appulerat, indigena, Galatem seu Galateum filium suscepit, qui mox natu iam grandis, ac regno præfectus, incolis dedit nomẽ.* Galates Herculis filius. Hic à nõnullis Galateus, ab aliis Galata dicitur. *Quod & Berosi verba confirmant scribentis Celtas à rege Galate Herculis filio id nominis sortitos: à quibus etiã Galatæ siue Gallogræci minoris Asiæ populi dicti fuêre. Tam familiare postea, peruiúmque hoc nomen fuit, vt quicquid Gallicum esset, Galaticum seu Galatarum esse veteres dixerint, vt γαλατικὸν πόλεμον vocat Plutarchus in Camillo, & in Galba γαλατικὴν πόλιν ναρβῶνα. Vocantur & γαλάτικαι ἡμίονοι ab antiquis, vt meminit Erasmus, De cupiditate diuitiarum. Sed quòniam eò iam peruenimus vt priscas nostrorum ὀνοματολογίας solerti indagatione perquiramus, extra Bacchũ, quod dici solet, non fuerit, si gallicæ quoque nomenclaturæ origo curiosiùs exquiratur, & vnde Galli dicti sint inuestigetur.* De Gallorũ notatione ac etymologia variæ opiniones. *Qui ergo rerum antiquarum memorias inspectiùs rimantur, veram Gallorũ notationẽ à Samuële Talmu-*

dista petendam existimant. Is Gallos illos verè ac propriè dici asserit, qui inundationem, imbriúmque excessum paßi sunt: eam enim vocis illius esse interpretationem, eáque de causa maiores nostros id nominis primùm habuisse. A quo non abludens Xenophon in æquiuocis ita scribit:
» Ogyges plures fuere: primus supradictus attauus Nini,
» quem Babylonij Gallum cognominant, quòd in inunda-
» tione etiam superstes alios eripuerit & genuerit. Hinc
» Sagæ apud quos nauigio saluatus est & ereptus, ratem
» vocant Gallerim, quòd vndis saluet. Existimarunt plerique Gallos ab albo colore, & à niueo lactis candore, quod Græcis γάλα dicitur appellatos, quòd videlicet eorum corpora ob immensam frigoris intemperiem lactis instar albescant. Vnde Virgilius,

Galleris, species nauis, vnde id nominis habuerit.

„ Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
„ Auro innectuntur. Et Mantuanus,
„ Ignea mens Gallis, & lactea corpora, nomen
„ A candore datum.

Leuißimi equidem ponderis etymologia illa est: & præstaret ab ipso Galate, de quo superiùs, quàm ab albo colore Gallos deriuare. Neque enim vlla ratio est cur Galli, nostri homines à candore potius dicantur, quàm vel Britanni vel Scoti, vel alij populi qui propiùs ad Septentriones quàm nos accedunt: præsertim cum Galli illi qui ad Meridiem spectant, vt Lemouices, Aruerni, Tholossates, Narbonenses, aliique plurimi, non magis Galli à candore, quàm Hispani dicendi esse videantur. De Gallorum itaque onomatologiis hæc in transcursu dici oportuit, idque tum ad inculcandam gentis nostræ claritatem,

tum ad extraneos monendos ne alienam messem ita festinanter demetant. Quod autem ad Germanos attinet, ne putemus adeò obscurum, aut incognitum genus eorum esse quin aliquo modo, licet sub aliis nominibus, scriptores veteres meminerint. Nec enim absurdum fuerit existimare quosdam historiographos per Nomadas & Scythas, Germaniã quoq; intellexisse. Nobiliores enim, vt inquit Strabo, ad Aquilonem partes vno vocabulo Scythas vel
» *Nomadas appellabant. Vnde & Plinius lib. 3. de Europa*
» *loquens, Scytharũ, inquit, nomen transit vsquequaque in Sarmatas atque Germanos. Scio Sextũ Ruffum historiographũ nequaquã aspernandũ, & virum Consularẽ, cùm de C. Cæsare loquitur, asserere eũ Gallos Cisrhenanos deuicisse, necnõ cõtra Trãsrhenanos Gallos decertasse. Quo in loco quæret aliquis, cur populos illos Trãsrhenanos Gallorũ nomine cõprehendat, cùm Rhenus ipse alterũ populum ab altero, vel describente Cæsare, diuidere dicatur. Sanè nulla id ratione dictum credendum est, nisi quòd Sueuis, & Sicambris, cõtra quos pugnauit Cæsar, itidem & Vbiis, & Tenchtheris, & Vsipetibus tanta iam esset cum vicinis Gallis consuetudo, tanta victus, morúmque similitudo, vt nonnunquam & Galli crederentur illi, & in Gallorum venirent appellationem. Adde quòd Galli colonias, scribente eodem Cæsare, in vlterioribus Rheni ripis, hoc est in Germania possederunt. Quo fit vt Germanos illos Transrhenanos Gallorum retinuisse nomen mirandum non sit. Atque hæ ferè causæ sunt, cur Vibius Sequester non contemnendæ eruditionis auctor, in libro quem de fluuiis, montibus, & nationibus olim Romano*

Nomadũ & Scytharũ vocabulo Germanos quandoque intelligi.

Cur Trãsrhenani populi interdũ Galli à nonnullis authoribus dicti sint.

Galli colonias in Germania olim possederunt.

imperio subditis dedit, quosdã Germaniæ populos in Celtis seu Gallis reponat: facit enim regionem Gallicanam sexdecim prouinciis distinctam, è quibus nõnullæ ad Germaniã pertinẽt, Viennẽsi, Narbonensi prima, Narbonẽsi secũda, Aquitania prima, Aquitania secũda, Nouẽpopulana, Alpibus maritimis, Belgica prima, in qua sunt Treuiri, Belgica secunda in qua est transitus ad Britanniã, Germania prima supra Rhenum, Germania secũda vltra Rhenum, Lugdunensi prima, Lugdunensi secunda super Oceanum, Lugdunensi tertia supra Senoniam, Maxima Sequanorum, Alpibus Græcis. Idipsum etiam quasi ad verbum à Sexto Ruffo expressum est. Præterea Celtarũ vocabulum tam Germanis quàm aliis aliquot populis à veteribus attributum, sed tamen id ferè semper cum additamento inficiandum non est. Siquidem, vt annotat Strabo, alios Celtoscythas appellarũt, nempe Germanos, quòd partim ex Celtis, partímque ex Scythis coaluissent atque succreuissent, alios verò Celtiberos, nempe Hispanos occidentales, qui procul dubio à nostris traxerunt originem, quod & Lucanus libro belli Ciuilis tertio his verbis fatetur,

Regionẽ Gallicanam quot prouinciis distinxerint veteres.

Celtarũ nomen cum additamento multis populis attributũ.

Celtoscythæ.

Celtiberi.

» *-profugique à gente vetusta*
» *Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberi.*

Sed quò iam rapior, qui ab incepta de Gallis, eorúmque literis historia, ad nescio quæ externa sensim relabor? Vereor ne vltrà septa, quod aiunt, transiliam. Fit mehercule nescio quomodo, vt lubens ista commemorem, vt qualis, quantáque fuerit nostrorum maiorum virtus, habita cum nationibus reliquis collatione, quantáque claritas, omnium ob oculos ponam, intelligántque omnes nos non

solùm literis, sed imperio, & bellica laude præ cæteris floruisse nationibus. Lubens, inquam, ista commemoro, sed multò lubentiùs per immensos alios historiarum campos, quæ non importunè omnino huc adduci possent, discurrerem: quæ tamen, quia paulò diuersum est quod hoc in libro prosequimur institutum, nunc erunt prætermittendæ, non tam ob id quòd alium requirant locum, quàm propter quosdam Theoninos dentes, & iniquißimos rabulas, quibus nihil tam blandè, nihil tam simpliciter, nihilque tam circunspectè dici potest, quod non statim rapiant in calumniam. Quocirca sufficiat in præsentia illa veluti per transennam attigisse, quibus palàm fiat literas facilè à nostris tā multoties Græciā Asiámq; repetētibus potuisse Græcis conferri, & cōmunicari: simúlque docuisse quàm iniustè externi alienis vtantur soleis. Addam hoc vnum ex Plinio, caput Galatiæ illius quæ ad Phrygiam vergit, Gordiúmque appellatur, à Tolistobogis, Voturiis & Ambianis fuisse possessum, eósque ibi oppidum condidisse Pesinum: Mæoniæ verò & Paphlagoniæ regionē à Trocinis, aliis videlicet Gallorū populis, qui & ibi Tauium egregium oppidum condiderunt: vberiorem autem & fertiliorem Cappadociæ partem à Tectosagibus, & Teutobodiacis, qui Ancyram extruxerunt. Cúmque ipso eodem tempore, & aliàs etiam sæpißimè Græciam nostri inuaserint, & latè occuparint, haudquaquā malè dictum est à Thucydide longè cæteris, vel Quintiliano iudice, in historia præferendo, Græcos frequenter olim suis sedibus pulsos. Dicet hic quispiam, quomodo Gallos circa literarū, iuxtà ac armorū studium, eodē simul

tempore ſeſe habuiſſe veriſsimile ſit, necnon in vtroque pariter tantopere excelluiſſe. Quid enim, vt vetus verbũ eſt, Herculi cum Simia? Quid palladi cum Marte, aut Marti cum Pallade? Non enim Romani ipſi (vt aliquando conqueſtus eſt Cicero) in vtraque diſciplina iiſdẽ potuerunt eminere temporibus. Quî fit igitur vt Gallis noſtris fœliciùs iſta ceſſerit alea? Huiuſmodi quæſtioni difficile non eſt ſatisfacere, ídque ex Cæſare, qui in commentariis tradit in omni Gallia eorum hominum qui in aliquo eſſent numero atque honore, genera eſſe duo. Nam plebs apud eos ferè ſeruorum loco habebatur, quæ per ſe nihil audebat, & nulli adhibebatur conſilio. Horum genus alterum erat Druidum, aut certè aliorum huiuſcemodi philoſophorum, alterum equitum. Illi ſacrificia procurabant, optimas diſciplinas tradebant iuuentuti, controuerſiis publicis & priuatis dirimendis præerãt. Hi verò cùm poſtulabat vſus, atque aliquod bellum incidebat, quod ante Cæſaris aduentum ferè quotannis accidere ſolebat, vti aut ipſi iniurias inferrent, aut illatas propulſarent, omnes in bello verſabantur: atque eorum vt quiſque erat genere, copiíſque ampliſsimus, ita plurimos circum ſe ambactos, clientéſque habebat. Hæc propè ad verbum ex Cæſare deprompta ſunt. Ex quibus facillimum eſt videre rei militaris iuxtà ac literariæ ſtudium in Gallia viguiſſe, alterum quidem ſub equitibus, alterum verò ſub Druidibus, itémque ſub Bardis, Saronidibus, & Samotheis. Nam quòd nullam plerique conuenientiam eſſe Palladi cum Marte dicunt, longè abeſt à vero. Neque enim inter rei militaris & literarum ſtudium ea eſt, quam multi

Veteres Gallos tam literarum quàm armorum peritia claruiſſe.

falsò sibi in animum inducunt, discordia: sed summa potius concordia, & occulta quædam naturæ, vt ita dicam, conspiratio. Et quanquam superioribus aliquot seculis siue hominum inertia, siue falsa quadam persuasione distinctæ fuerint illæ duæ disciplinæ, nunquam tamen peruersa imperitorum opinio nullis innixa rationibus tantùm efficere potuit, vt hæ inter se veterem illam, & naturalem veluti cognationem obliuiscerentur. Cur enim in hoc Georgio Buchanano viro apprimè docto, rem quàm optimè in quadam ad Carolum Cossæum epistola ponderanti non assentiam, simúlque cum eo affirmem omnes omnium ætatum imperatores, qui res præclaras, memoriáque dignas gesserunt, aut ipsos fuisse doctißimos, aut certè viros doctrina illustres, quorum vel eruditione vel colloquiis prudentiores fierent, summo fuisse studio amplexos? Neque profectò fieri potest, ait ille, vt magnus & excelsus animus, qui neglectis rebus caducis æternitatis memoriã ante oculos habet propositam, non etiam memoriæ, & antiquitatis custodes literas amet. Neque alij ferè sunt qui literas oderunt, & contemnunt, quàm qui vita per ignauiam & flagitia turpiter acta conscientiam posteritatis reformidãt: vt nõ minùs verè quàm elegãter cecinisse videatur Claudianus hunc in modum,

Inter rei militaris ac literarum studium maximam esse concordiam.

Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas:
Carmen amat quisquis carmine digna facit.

Nihil hìc me puduit Buchanani verba inserere: cuius eruditionem cùm superiori anno ex Italia in Galliam reuerterer, dum eadem mensa frueremur in oppidulo quodam Allobrogũ, cui Turris Pinea nomen est, magnoperè

ſum admiratus. Admiratus eſt & Haïmo à Scalingiis Pedemontanus, Ploſaſchi Comitum illuſtri familia cretus, vir minimè indoctus, ſed & literarum, & literatorũ amantiſsimus, qui tunc Herculẽ filium Academiã Pariſiorum mecũ petentẽ, fortè, occaſione oblata Lugdunum vſque comitabatur. Verùm ne nimium extra chorũ, quod aiunt, reſilire videamur, alia oſtendamus ratione quantũ affinitatis ſit armorum cum literis. Cur enim ſi illa duo vſqueadeò pugnant inter ſe, Minerua ipſa, quæ ſapientiæ dea creditur, à ſagaciſsimis tam Græcorum, quàm Latinorum poëtis tot præclaris effertur nominibus aliquando epitheti locum ſubeuntibus, aliquando per antonomaſiã vſurpatis? Siquidem à Virgilio ſecundo Aeneidos nunc armipotens dicitur, nunc ſæua: itémque ab eodem Aeneidos nono Bellona, quòd bellorum dea ſit, & vndecimo belli præſes: ab Homero Ενύω, quod Bellonam ſonat: à Syllio libro decimo tertio armiſona: à Martiali libro ſeptimo belligera, & alibi ferox: ab Ouidio tertio Faſtorum interdum dea bellica, interdum pugnax, ab eodem ad Liuiam armifera dea, & ſecundo Metamorphoſeos bellica, octauo bellatrix, decimo quarto armifera: à Statio libro 2. Thebaïdos bellipotens: à Claudiano aſpera bellis: à Pontano animoſa: ab Ariſtophane in nubibus περσέπολις, id eſt euertens oppida, ſiue vrbium populatrix: à Quintiano cruda: truculenta à Mantuano: armipotens & Gorgonia à Cicerone, in concione ad populum ante quàm iret in exilium: ab Homero quandoque αἰγίοχος, id eſt ægida tenens, quandoque παλλὰς, nimirum ἀπὸ τοῦ πάλλειν, hoc eſt à vibranda haſta, vel etiam, vt Heſiodi interpres

Quantum affinitatis habeant literæ cũ armis.

Eadem epitheta tã Marti, quàm Mineruæ à poëtis attribui ſolita.

docet, quòd Palladem immanis ſtaturæ gigantem interemerit. Cur, inquam, hæc omnia, quæ furentis Martis epitheta eſſe notiſsimum eſt, Mineruæ quoque adſcribuntur, ſi eæ ſunt, quas quidam ſibi in animo fingunt, inter literas & arma inimicitiæ capitales? Iſta enim vtrique non niſi ob quandam inter eos communionem attribui credẽdum eſt. Cur itidem Bellonã Martis eſſe ſororem, quòd eodem patre Ioue ſit vterque progenitus, prudẽtiſsimi illi poëtæ dixerunt, ſi nulla omnino eſt inter vtrumque concordia, nullus conſenſus, nulla cohærentia? Cur Mineruam introducit Homerus, nunc hos nunc illos Græci exercitus duces ac principes alloquentem, adhortantem, cõſiliis iuuantẽ, inſtigantem, exaſperantem? Palàm eſt igitur nequaquam literarũ cum armis illam eſſe, quam multi hodie in tenebris palpantes exiſtimarunt, repugnantiam. Palàm eſt vtramque diſciplinam olim à Celtis, ſeu Galatis noſtris celebratam fuiſſe. Palàm eſt & noſtros toties Græciam repetentes armis, bonis legibus ac literis eam reddidiſſe cultiorem. Palàm denique & eos longè tardiùs Muſas recepiſſe, vt quas à Galatis profectas ſatis ſit manifeſtum. Quod vt magis confirmatum relinquamus, monſtrabimus tum ex verbis Xenophontis, tum aliorum, falſiſsimum eſſe quod primas Cadmo tribuendas putant literas, alij quidem quaſi ab ipſo primùm inuentas, alij verò quaſi aliunde quàm à Gallis acceptas. Non enim negamus Cadmum literas in Græciam primùm intuliſſe, quanquam id certè impune cum Ioſepho negari poſſet, ſed illum non concedimus eas aliunde accepiſſe quam à Galatis, & Mæonicis, qui in Aſia minore ſunt, quos partim

à Celtis instructos, partímque ab iis oriundos, ex iis quæ superiùs adducta sunt satis intelligi potest. Sed Xenophontis verba audire operepretium est. Is in libro de æquiuocis postquã Cadmos plures enumerauit, mox ad Quintum illum literarum miraculo apud omnes celebrem deueniens, hunc in modum scribit: Quintus paulò ante ruinas Troiæ Armonia Samothraca inclytus, qui à Prisca vxore ob Armoniam certamẽ passus, rediens à Phœnicia detulit in Græciam primus sexdecim numero literas rudes: non tamen, inquit ille Phœnicas, sed Galatarum & Mæonum persimiles characteribus. Ex quo animaduersione dignum est, præter quàm quòd literæ & characteres ipsi Græci Galatarum sint, mendacij quoque in hoc coarguendum esse Græciam, quòd in historia Samothracum finxerit suum illum Cadmum fuisse cognatum Dardani & Iasij, ex sorore Armonia, qui ambo post nuptias has, & mortem Iasii Dardaniam, quæ postea Troia dicta est, consensu mutuo condiderint: quod sanè tradiderunt Diodorus libro sexto, & Dionysius primo. Quomodo enim fieri potest vt post nuptias & mortem Iasii Dardanus Samothrax Dardaniam condere potuerit, qui eo vixit tempore, quo iam multis regibus Troianis extinctis Troia condita fuerat, & ad finem Laomedontis, & principia regis Priami venerat, quemadmodum ex ipso Xenophonte satis liquet. Testes sunt etiam Spinga, & Palephatus auctores Græci, qui annis sexaginta duobus ante ruinas Troiæ fuisse certamen Priscæ vxoris contra Cadmum ob Armoniæ zelotypiam regnante Laomedonte, & Euandro tunc temporis in Italiam nauigãte

Literas Græcorum, à Galatis qui è Celtis seu Gallis nostris originem traxerant, primùm profectas.

asseruerunt: quanquam Eusebius antiquitatis Græcanicæ fautor, fermè annos duos & septuaginta ante ruinas Dardaniæ notet, si modò locus ille mendo vacat. Sed de iis hactenus. Porrò quòd literæ nostrorum Galatarum à Cadmo Græcis præmonstratæ eædem essent cum illis, quibus postea Græci per multa vsi sunt secula, argumento est quod C. Iulius Cæsar sexto commentariorum de bello Gallico asserit, Gallos à Dite patre (is erat Samothes Iapheti filius, quem Postellus diuinum & sibi sufficientem Iapetitam interpretatur, qui præterea inferorum rex, hoc est occiduæ partis mundi habitabilis dux in sua gente Gallica fuit) disciplinas nactos, illas ipsas ad sua vsque tempora retinuisse, necnon & lingua Græca vsos: & quamuis nefas esse crederent ea quæ Druides tradebant literis mandare, tamen in reliquis ferè rebus publicis, priuatísque rationibus Græcis literis vti solitos. Ipsius autem Cæsaris verba & authoritatis plurimum præ se ferentia, & eleganti stylo consuta huc adferre præstiterit. Itaque, inquit, nonnulli annos vicenos in disciplina permanent: neque fas esse existimant ea literis mandare, cùm in reliquis ferè rebus publicis, priuatísque rationibus Græcis literis vtātur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quòd neque in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt, literis confisos minùs memoriæ studere. Quod ferè plerisque accidit, vt præsidio literarum diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. Ex quibus intelligi par est & patronos causas agere solitos Græco sermone (tum enim patronos in foro iudiciali fuisse admittendum est, cùm ridiculũ fuisset, si populari lingua,

Quātus olim fuerit in Gallia Græcarũ literarũ vsus.

p. i.

quæ apud quasuis nationes fuit semper ab eruditorum sermone differens, pro se quisque dixisset) eodémque iudices pronũtiasse sententias: deinde & tabulas priuatas omnes literis Græcis confici solitas: tabulas dico emptionum, locationum, mutui, commodati, commutationum, aliarúmque rerum eiusdem generis. Siquidem videmus quàm latißimè pateat locus ille Cæsaris. Nam res publicas eum dicere certum est, illas quæ publicè gererentur, cuiusmodi sunt iudicia ipsa, atque legatorum conciones, itémque ea quæ ad deorum cultũ & religionem pertinebant. Rationes autem priuatas, eas quibus inter se priuatim contrahendo vterentur: quo in genere sunt quos appellamus contractus: quos à nostris Græca oratione cõscribi solitos, à Strabone libro quarto annotatũ est. Proinde ipsi etiam scribæ iudicia, decreta, & sententias iudice pronuntiante, Græco sermone excipiebant, atque in tabulis posteà, vt cuique vsui erat, Græcè scribebant atque describebant. Hinc quoque elici potest in scholis, in prælectionibus, in philosophicis, aliísque eius generis disputationibus Græcum sermonem nostris in vsu fuisse. Ridiculum enim & absurdum videretur eos, qui in cæteris ferè rebus publicis, priuatísque rationibus Græcis literis, vt Cæsar ait, vterentur, non vsos fuiße in docendo Græco idiomate: quod etsi latè propagatũ esset, ad doctos tamen maximè pertinere videretur. Nec verò sermonem Græcum in quacunque Galliæ parte æquè cognitum, ac disseminatum, ipso quidem Cæsaris tempore, nobis asserẽdum existimo, sed tantummodo in Celtis, qui, vt Cæsar ait, verè ac propriè Galli dicebantur, in quibus præcipuè

Druidas habitasse clarissimum est, & ante hos Saronidas, & Samotheos. Nam quo tempore in Gallias Cæsar accessit, iam tot tantæque ab externis populis in eas factæ fuerant irruptiones & insultus, vt pluribus in locis manifesta obseruaretur Gallici sermonis corruptio atque immutatio, adeò vt solis ferè Celtis, qui violentiæ externorū fortissimè restiterant, suum remansisset Græcum idioma, quod tandem nec ipsi temporis progressu ab exterorum barbarie ac violentia defendere potuerunt. Itaque Cæsar cùm non paruam in ipsa Gallia loquutionis varietatem deprehendisset, necnon in sola ferè Celtica retentam fuisse Græci sermonis consuetudinem, in ipso operis principio, postquam eorum alios Belgas, alios Celtas, aliósque Aquitanos dixisset, subiungit deinde illos inter sese lingua differre. Aliter ergo loquebantur Aquitani, aliter Belgæ, & aliter Celtæ. Penes quos posteriores tametsi Græcas literas remansisse constet, negandum tamen nō est, ob mutuá commercia, quæ illi omnes inter se ipsos exercebant, linguæ quoque Græcæ vsum reliquis quoquomodo communicari potuisse. Enimuero si eos omnes ex superiùs adductis Cæsaris verbis, Græcè nouisse indiscriminatim colligere vellemus, aut si id fortè Cæsarem intellexisse arbitraremur, faceremus illum quodammodo sibi ipsi dissimilem, quòd paulò antè nempe libro quinto scribat se cuidam ex equitibus Gallis magnis præmiis persuasisse, vt ad Ciceronem epistolam deferret, quam Græcis conscriptam literis ideò miserat, ne intercepta fortè epistola, Romanōr ab hostibus consilia cognoscerentur. Hoc enim Gallos illius Climatis Græcè tunc nesciuisse quo-

Ante Cæsaris in Galliā aduentū, Gallicū idioma corruptum.

Occurritur tacitæ obiectioni.

dammodo declarat. Illius autem climatis dico: nam de omnibus Gallis illud Cæsaris dictum intelligi non posse certum est. Alioqui enim cùm pluribus locis secum ipse pugnaret, tum maximè eo, quo constat ex eodẽ in Heluetiis olim, quos Celtarum esse populos nemo ambigit, Græcas fuisse literas. Ait enim commentario primo de bello Gallico, in castris Heluetiorum tabulas quasdam repertas fuisse literis Græcis confectas, & ad se ipsum perlatas: quibus in tabulis nominatim ratio descripta erat, qui numerus domo exißet eorum Heluetiorum qui arma ferre poßent: & item separatim pueros, senes, mulieresque ibidẽ descriptos. Quocirca siue Druides, aliique eiusdẽ generis Celtarũ philosophi apud Heluetios ipsos aliquãdo philosophati sint, & in eorũ vrbibus literas præmõstrauerint, siue etiam ab aliis Celtarũ populis ad ipsos earundem literarum manarit cognitio, perspicuum tamen est eos sine literis, atque illis quidem Græcis olim neutiquam fuisse. Quæret aliquis non importunè, cur, si verum est literas (quod certè asserimus) tantopere in Celtis sub illis, de quibus dictum est, excellentißimis philosophis, & eas quidem non alio quàm Græco idiomate claruisse, nulli penitus ab illis posteritati relicti sint libri, nulla rerum veterum narratio, nulla illustrium factorum memoria, nulla cõmemoratio antiquitatis? Scilicet illud ipsum est de quo priori libro nõ immeritò querebamur. Cui nihil aliud responderi posse putant, nisi fortè dicamus eorũ scripta, si quæ reliquerint, (vt certè reliquisse probabile est) ad nos nequaquam peruenire potuisse, sed iniuria tẽporum, quemadmodum & multa alia Græcorum atque

Tabulæ Græcæ in castris Heluetiorum repertæ.

Latinorum, ita euanuisse, vt ad hæc nostra vsque secula penetrare nequiuerint. Sed quòd nihil ferme ab eis scriptum suo tempore cerneretur, testis est ipse Cæsar locupletissimus: qui hoc duabus de causis ab eis ita institutum sibi videri asserit, quòd scilicet neque in vulgum disciplinam suam efferri vellent, neque eos qui discerent, literis confisos minùs memoriæ studere. Adde quod multa erãt apud eos religionis arcana, quæ scriptis committere & in vulgum efferre, magnum esse nefas (quod & Aegyptiorum Theologis peculiare fuisse legimus) arbitrabantur: satiúsque illis videbatur cæteros, qui huiusmodi mysteriis cuperent initiari, viua voce institui, quàm rerũ descriptarum serie, aut librorum, si quos haberent, communicatione: & ita religionis suæ, quæcunque illa esset, ceremonias ac recõditißima Theologiæ secreta veluti per manus ad posteros propagari. Quomodocunque autem sese res habeat, scripserint quidpiam, aut non scripserint, disciplinámve suam habuerint aut reconditam, aut euulgatam, perspectißimum tamen est ex iis quæ hactenus dicta sunt, eos & Græcè loquutos, & Græcis vsos fuisse literis, vt hinc perpalàm euadat antiquißimũ nostris fuisse bonarũ literarũ ac disciplinarum vsum. Fortè nec hoc loco contemnenda fuerit Gulielmi Postelli auctoritas, viri tam vario ac multiplici sermonis genere præstantis, vt non facilè discerni poßit quænam linguarum sit ei insititia, & quæ genuina. Hic in libro de literis Phœnicũ haud malè

Cur prisci Gallorũ philosophi paucißima scripta posteris reliquisse dicantur.

» *videtur nostræ huic sententiæ suffragari: Qui meritò,*
» *inquiens, & mihi, & toti reipub. Christianæ fidem fa-*
» *ciant, authores habeo quibus credam: per quos constat*

familiarißima & vsitatißima. Quod affirmat Diodorus Bibliothecæ historiæ libro sexto: vbi de Celtis loquẽs tantam alicubi apud eos aëris frigiditatem esse dicit, vt neque vinum ea regio, neque oleum producat: hinc homines coactos potũ sibi ex hordeo comparare, eúmque ζιθὸμ appellare solitos. Hodie etsi talem potus confectionẽ nostræ regiones agnoscunt, eiusmodi tamen vocabulum, quo vsos fuisse nostros Diodorus ait, prorsus ignorant. Itaque aliorum externorum in fines nostros emigrantium verba retinuimus, Græcisque hactenus ea quæ à nobis acceperant, remanserunt: quippe qui potum illum ex hordeo confectum ad hunc vsque diem ζυθὸρ appellant, quemadmodum videre est apud Dioscoridem libro secundo, cap. 112. Meminit & Plinius libri vicesimi secundi cap. vltimo.

Olbia. *Nec prætereundum quòd uetustißima nobis fuerit, & à priscis Gallis condita ciuitas, inter Maßiliam & Nicæam, quæ ab illis Olbia (de qua iam paulò antè) diceretur. Olbiam autem verbum esse merè Græcum, beatam significans, perspectum lippis est atque tonsoribus.*

Braca. *Scriptum est & à Diodoro Gallos vestibus ad terrorem intonsis, variíque coloris vsos aliquando fuisse, eásque ab ipsis Brachas, aut potius Bracas sine, h, appellatas. Quam quidem vocem adhuc in lingua Aeolica retentam cernimus, in eadem ferè significatione. Aeolicè namque Ϭρακὸς laceram & fluxam vestem sonat. Hinc & Narbonẽsis prouincia, Gallia Bracata dicta est, quòd vt scribit Plinius, eo vestis genere olim vteretur.*

Gallia Bracata vnde dicta

Pyrenæi. *Simile quiddam apud Berosum legitur de Pyrenæis. Nam ille in libello de Assyriorum regibus ostẽdit montes*

illos maximos, qui Celtas à Celtiberis diuidunt, sub rege Celte Luci filio (de quo paulò ante) à conflagratione syluarum nomen habuisse, hoc est Pyrenæos fuisse nuncupatos. Est autem Pyrenæus nomen manifestè Græcum: quod cùm prioribus illis seculis à Gallorum rege Celte sit impositum, maximũ procul dubio, certißimúmque argumentum est Gallos eo ipso tempore linguã habuisse Græcam & notam & familiarem: quam deinde Galatis & Gallogræcis, atque aliis etiam populis, vt ex Archilocho, Xenophonte, aliísque non modicæ fidei authoribus manifestißimnm est, contulerunt. Nec verò audiendi hîc erunt Græci, multóque minùs ab his pendentes Latini quidam, qui Pyrenæos existimarunt à Pyrene, nescio quo Herculis Græci socio vocari: quãdoquidem isthæc planè ridicula sunt & fabulosa, vt Plinius in tertio naturalis historiæ præmonuit. Siquidem ante res Troianas, & ante quàm de iaciendis Troiæ fundamentis quicquam ab vllo mortalium esset præcogitatum, de Celtarum ac Pyrenæorum nominibus extiterat, inualuerátque memoria: cùm tamen nihil omnino vel de Hercule, vel Pyrene, vel Cadmo, vel Orpheo audiretur: constat enim illos eodem simul tempore post conditam Troiam vixisse. Quapropter errant qui Pyrenæorum ὀνοματολογίαν *ab illo fabuloso Pyrene deriuandam censent, súntque inanes istæ nebulæ non argumentorum, sed leuißimarum opinionum depellendæ. Neque itidem acceptandi illi (inter quos Sillius) qui à Pyrene puella Bebrycis filia, ipsum Pyrenæum saltum dici autumarunt, quòd illa, vt existimant, in monte illo, in quo sylua ipsa est, siue saltus, ab Hercule illac trans-*

Montes Pyrenai vnde dicti.

Fabulosa de Pyrene Herculis socio.

Fabulosa de Pyrene puella Bebrycis filia.

eunte fuerit compressa, tandémque à feris dilaniata, atque ibidem sepulta. Huic, opinor, commento diluendo nobis immorandum non est, cùm adeò leue videatur vt vel sibi ipsi fidem satis abroget, poßitque eadem omnino ratione qua & prius refelli. Dicendum itaque Pyrenæũ ἀπὸ τοῦ πυρὸς nuncupatum, hoc est ab igne, siue quòd crebris fulminum ignibus (vt non malè omnino quidam sentiunt) feriatur: siue potius quòd Pyrenæi montis densißimæ syluæ iniecto à pastoribus igne olim vniuersæ conflagrauerint, quemadmodum auctor est Diodorus Siculus libro sexto, cui præcitato loco conformis est Berosus. Est autem proxima montibus illis regio quædam, quæ nomen inde ritinuit, hodiéque Pyrpiniana, seu Perpiniana corruptè dicitur, cùm scribendũ citius videatur, & proferendum Pyrepiniana, id est conflagrationis & incendij ostium atque origo, quòd ibi cœperint pastores ignẽ iniicere. Nam πῦρ ignem, πινύειν verò admouere, siue iniicere significat: ac proinde accommodatior, & dictionis notationi aliquantò propior videretur orthographia, si duplici ypsilo Pyrepinyana scriberetur.

Pyrepinyana regio.

Exacon.

Alia legitur apud Plinium dictio ex earum genere quas hîc inuestigamus, nempe, exacon, quam Gallicam facit, cùm & eandem merè Græcam esse perspicuum euadat. Dicebatur autem exacon à maioribus nostris (nam hodie ab vsu loquutionis nostræ receßit) secũda Centaurij species cognomine Lepton, quod Libadion vocant nonnulli: Latini propter summam amaritudinem fel terræ nominarunt. Porrò & exacon Galli nostri appellauêre, quoniam, inquit Plinius, omnia mala medicamenta potum è

corpore exigat per aluum. Hæc ille libri vicesimi quinti capite sexto. Annon manifestissimam illic nostrorũ Græcitatem, vt ita loquar, deprehendimus? Etenim ἐξακεῖν *nihil aliud quàm* θεραπεύειν *sonat, hoc est curare, & pharmacis mederi. Vnde carmen aureum Pythagoræ, quod multorum in ore est, sic habet,*

κρατήσειν ὧν σε κελεύω, ἐξάκεσας &c.

Inde quoque ἐξάκεσις, *quod sæpe pro remedio ac medicina legitur. Inde &* ἐξακὸν *nostrum, quam Gallorum vocem vt iam dictum est, facit Plinius.*

Præterea, vt quod intendimus pluribus verbis inculcemus, λήθης *flumen, quod obliuionis interpretantur, Gallorum quondam fuisse vocabulum (cum tamen hodie in solo Græcismo remansisse illud videamus) ex Strabone facillimum est intueri. Galli enim cùm aliquando relicto natali solo iam ad Lemium fluuium essent perducti, atque ibi fortè seditione orta dux eorum periisset, depositis armis illic quieuerũt, quasi omnis militiæ prorsus obliti: propterea* λήθην *flumen appellarunt. Strabonis verba libro* λήθη.
,, *tertio sic habent:* ὕστατοι δ' οἰκοῦσιν Ἀρτάβροι περὶ τὴν ἄκραν,
,, ἣ καλεῖται νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστί. πε-
,, ριοικοῦσι δ' αὐτὴν κελτικοὶ συγγενεῖς τῶν ἐπὶ τῷ ἄνᾳ. καὶ γὰρ τούτους,
,, καὶ τουρδούλους στρατεύσαντες ἐκεῖσε στασιάσαι φασὶ μετὰ τὴν διάβα-
,, σιν τοῦ λιμαίου ποταμοῦ. πρὸς δὲ τῇ στάσει καὶ ἀποβολῆς τοῦ ἡγέμονος γενο-
,, μένης καταμεῖναι σκεδασθέντας αὐτόθι, ἐκ τούτου δὲ καὶ τὸν ποταμὸν λή-
,, θης ἀγορευθῆναι.

Adhæc τιμοῦχος *quamuis Græca esse vox agnoscatur, qua honore aliquo præditum designamus, olim tamen nostrorum Celtarum fuit, præcipuéque Massiliensium, qui dicente eodem Strabone libro quarto, rem vrbaniam per* τιμοῦχος.

optimates & Aristocratiam regentes, omnes populos legum æquitate superabant, consilium DC. *ex viris instituentes, qui quoad vita superesset, id honoris genus habebãt: atque hos quidem* τιμούχους, *inquit, appellabant.*

Αυλή. Αὐλὴ, *quæ dictio Græca est, nostra omnino esse deprehenditur. Ea enim, vt scribit Athenæus, antiquis* διαπνεόμενον τόπον, *hoc est locum, seu domum ventis perflabilem significat. Vnde & apud Homerum semper hoc nomine subdialia, id est ampla quædam ædificia aëri circunfluo ac ventis exposita, deambulationibus illis, quas Vitruuius Græco vocabulo* ὑπαίθρας *vocat, accommoda. Cuiusmodi ferè sunt hodie apud nos hypæthria, id est loca illa subdialia emporiis maximè destinata, quò res venales importantur vndique, & quò vel ad emendum, vel vendendum conuenire solent mercatores. Vulgus nostrum Burgundionum ad hodiernum vsque diem vocem hanc in significatione propria ac genuina retinuit (quod & alij quidam Gallorum populi fecerunt) qui ex antiquo idiomate huiusmodi locum vocat,* aule, *siue,* l'aule, *præposito nimirum articulo. Postea &* αὐλὰς *per translationem pro regiis, siue palatiis vsurpare ceperunt, quòd ante se habeant subdialia & ampla loca. Hinc & Latini aulam traxerũt. Parisienses hypæthria ipsa vocãt,* Les halles.

Βοῦς. Βοῦς *etiam in aliquo sensu vsurpatum nostrum agnoscitur esse. Scripsit enim Iulius Pollux commissuras extremis vestium partibus, quæ suendo fiunt, hoc nomine à veteribus fuisse appellatas. Nos planè ad verbum dicimus* bous, *vel* bouts: *hinc quoque diminutiuum, quod vocant,* boutons: *hinc etiam verbum* boutonner.

Vox πέρκη, siue πέρκις, à nostris semper retenta est pro Πέρκη.
quodam delicatissimi piscis genere, quod hodie planè ad verbum antiquo nomine, vt inquit Robertus Stephanus, Galli sic vocāt, Perche. *Verùm de huiusmodi vocabulis in idiomate nostro remansis, & maximā adhuc cum Græca lingua affinitatem & cognationem habētibus paulò pòst aliquantò fusiùs, prout locus postulabit, dicetur.*

Hunc in ordinē referenda est vox, Gæssa, olim Gallis Gæssa.
trita admodum ac peruia, & qua ab antiquis Celtis cōti seu tela Gallica significabantur. Nam & viros fortes atque in bellis strenuos maiores nostri, vt à Seruio annotatum est, Gæssos appellarunt. Hinc Poëta Aeneidos Gæssi, viri
octauo, vbi de Gallis qui olim Romam ingressi, omnia de- fortes dicti.
uastarant, meminit, scribit hunc in modum,

" *-Duo quisque Alpina coruscant*
" *Gæssa manu, scutis protecti corpora longis.*

Potuisset illo loco Vergilius vel vocem, tela, vel aliam aliquam non malè vsurpare, sed tamen, vt vbique mirus est rerum scitè describendarum artifex, vocabulum Gallicum historiæ Gallicæ multò aptiùs, multóque venustius fore iudicauit. Id vocabuli hodie in nobis pro temporum, rerúmque varia mutatione, ita extirpatum animaduertimus: vt haud sciam, an ampliùs in vllius Gallicæ gentis idiotismo possit obseruari. Attamen acceptam semel a maioribus nostris huiuscemodi voculam Græci, augendæ semper ac locupletandæ suæ linguæ mirum in modum studiosi, nunquam posteà è suo sermone elabi permiserunt, qui ad hunc vsque diem hoc ipso nomine γαῖσα pro telis & hastilibus Gallicis in suo ipsorum idiomate vtuntur.

Antipolis. *Aphrodisiũ.* *Retinuimus quoque in hodiernum vsque diem plurimas omnino Græcas vrbium Celticarum impositiones: cuiusmodi sunt Antipolis, quæ in Salyis sita est, & Aphrodisium Veneris promontorium. Hæc enim nomina omnino Græca esse nemo non intelligit.*

λήρων. *λήρων, Celtica insula Antipoli aduersa (cuius meminit Plinius libro tertio) idem sonat quod deblaterans ac mentiens: ἀπὸ τοῦ ληρεῖν.*

Agatha. *Blittera.* ὀυιένα. *Aëria.* *Græcæ sunt etiã Agatha & Blittera à priscis Massiliensibus conditæ, quarum etymon inuestigatu difficile non est: itémque ὀυιένα, quam hodie Viennam vocamus, & Aëria, quæ teste Artemidoro, sic appellata fuit à Gallis, quòd in sublimi ædificata esset cacumine.*

Stœchades. *His addendæ sunt Stoechades insulæ, quæ à maioribus nostris id nominis habuerunt, propter ordinem quo sitæ sunt, quemadmodum scribit Plinius libro tertio. Est enim στοιχεῖν ordine procedere. Eas autem, vt idem subiungit, Græcis nominibus appellabant Proten, Mesen (quæ etiam Pomponia posteà à Latinis dicta est) & Hypæan. Quas quidem voces Græcas omnino esse nemo non videt.*

Allobroges. *Allobroges, vel secundum Stephanum Allobryges, dicti videntur, quòd aliis atque aliis rebus facilè moueantur: ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐπὶ τὸ βρύειν. Eò respexisse videtur Horatius, in 16. Epod. cùm ait,*

» *Nouísque rebus infidelis Allobrox.*

Tectosages. *τεκτόσαγες, ἢ τεκτόσαγαι Stephano, Galliæ Narbonensis populi. Quod nomen si Latinè interpretemur, armorum & scutorum artifices sonat. Neque hæc profectò vana etymologia censebitur, si spectemus quanta potentia, ho-*

minúmque robore quondam valuerint. Illi namque relictis sedibus, per Græciam in Asiam penetrarunt, & supra Phrygiam in vberrimis Cappadociæ cãpis consederũt.

Non omnino displicet quod de Auenione oppido nõnullos ἐτυμολογεῖν audio, primùm scilicet illud nescio quomodo appellatum ab ingruentibus barbaris dirutum fuisse, deinde à Narbonensibus ita restauratum, vt non pristinæ formæ, sed aliquantò elegantiori restitutum videretur, eáque ratione effectum, vt ἀυενιὼν, quasi ἂυ ἐνιών, hoc est iterum aliquod esset. Auenio.

Alexia Mãdubiorum antiquissima ciuitas, id nominis accepit (vt author est Diodorus libro sexto) ab Hercule illo, quem Lucianus Celticum vocat, primo suo conditore: qui vulgò ἀλεξίκακος cognominabatur, hoc est ὁ τὰ δεινὰ ἀπείργων, quasi dicamus in malis adiutorem hominúmque defensorem. Hic enim postquã Lestrygonas, qui morti patris sui Osiridis, siue Iouis Iusti consenserant, deuicisset, & Geryonem truculentissimum Hispaniæ regem perdomuisset, ad Celtas sese recepit, ibidémque expulsis tyrannis, ac perditissimis grassatoribus plagam illam Lingonum, atque Heduorum nimium infestantibus, locus ipse ab eodem Alexia dici cœpit, siue quia sic voluerit ille, siue etiam quia posteritati sit ita visum. Adde quòd pharmaca multa, atque medicamina fertur adinuenisse aduersus venena & morsus serpentum, vt meritò ἀλεξικάκου nomen sibi conciliauerit. Atque hæc tam de Alexia, quàm de aliis nominibus priùs adductis eò pertinent, vt certum confirmatúmque relinquamus veteribus Gallis tritam ac peruiam fuisse Græcæ loquutionis consuetudinem. In quo

Alexia. Hercules ἀλεξίκακος

Græcorum quorundã vanitas animaduertenda, qui hunc nostrum Herculem vnà cum præclaris illius facinoribus sibi vindicare audent, cùm decimus ille sit in regum Celtarum catalogo: à quibus Celtis adhuc nescio quæ Phœnicum vestigia retinentibus (si quidem primogenitores nostros è Phœnicia oriundos fuisse dubitandum non est)

Varia Herculis Celtici cognomina: & quid ea sonet. *Her, & Hercol, & Arno, & Musarno dicebatur, id est, vt interpretatur D. Hieronymus, pilosus, totus pilosus, leo magnæ famæ, insigne leonis magnæ famæ.*

Senones. *Obiter etiam notandum est Gallos Senones antiquitus ξένονας ἀπὸ τοῦ ξένιου fuisse nuncupatos, ac deinde siue vsu, siue tẽporis progressu factũ, vt litera, s, in locum, ξ, subiret.*

Burgundia. *Quin & Burgundiam ipsam, quæ Galliæ Celticæ potior pars est, ἀπὸ τοῦ πυργοῦ nomen retinuisse nullus est ex optimis authoribus qui non assentiat.*

Ostendit Barptolemæus Chassaneus in libro Consuetudinum Burgundiæ Augustodunum vocem esse Græcam. *Augustodunum siue Hedua.* *Est autem ciuitatis nomen in Celtis, quæ & alio nomine, atque eo quidem Græco, Hedua dicta videri potest, nimirum ἀπὸ τοῦ ἡδέος.*

Arar. *Arar Galliæ Lugdunensis fluuius, sic dictus, vt in Etymologiis Græcorum annotatum est, ἀπὸ τοῦ ἀρηρέναι τῷ ῥοδανῷ ποταμῷ. Hodie inducto nouo vocabulo, ac veteri deperdito à nostris Saona dicitur.*

Rhodanus. *Rhodanus ἀπὸ τοῦ ῥοδανίζειν, quod est quatere, agitare, & continuò mouere. Quod verbum etsi interprete Eustathio in sextam Homeri Iliad. συνεχῶς τινάσσειν τὴν κρόκην significat, nonnunquam tamen & ad alia transfertur, quamuis Hieronymus in comment. Epistolæ ad Galat.*

à Rhoda Rhodiorum oppido seu colonia dici credat: quod existimauit etiam Plinius libri tertij capite quarto.

Huiusmodi fluuiorum, atque etiam oppidorum Celticorum nomina omnino Græca siquis paulò exactius disquirere vellet, tam multa profectò occurrerent, vt haud sciam an facilè numero possent cõprehendi. Quibus etiã si nunc mihi supersedendum potius videam quàm longius in iis excurrendum, silentio tamen hoc loco prætereunda non est Samothea, aut si mauis, Semothea, quippe quæ & merè Græca sit, si eius etymon spectemus, & ipsius Samothis Gallorum nostrorum progenitoris memoriam adhuc retinere videatur. Est autem Burgundiæ oppidulum à Lingonum vrbe duodecim ferè passuum millibus distãs, quod densissimis vndique nemoribus cinctum est. Eodem in loco Druidas nostros, atque adeò Samotheos ipsos aliquando philosophatos fuisse cùm multa alia, tum maximè peruetusta quædam monumenta declarant. Huiusce vrbis me nuper admonuit familiaris meus Ioannes Probus Hetropolitanus. Neque enim merita quemquã laude spoliandum censeo. Ac ne ex eorum esse numero videar qui nimium impudenter metunt aliis sementem faciẽtibus, id vbique ferè obseruaui, vt si quid ab aliquo vel dictum vel annotatum fuerit, quod ad rem nostram faciat, siquid etiam certiori inuestigatione ab hoc vel illo cõpertum, ea omnia semper authoribus ipsis accepta ferre nihil verear. Samothea.

Est & aliud oppidulum ipsi Samotheæ admodũ propinquũ, paucísque ab vrbe Chaumõtio milliaribus distãs, quod prisco nomine, atque eo quidem Græco Hetropolis dicitur. Hodie vulgus quædam adhuc Romanæ linguæ Hetropolis

vestigia retinens Alteram-Villam appellat, alludens nimirum ad vetus vocabulum Hetropolin. Eam enim vrbem sic olim à maioribus nostris appellatam fuisse indicauit superioribus annis lamina quædam ærea in vetustissimis ruinis ac monumentis ibi reperta: in qua cùm plurima carmina Græco sermone insculpta essent, pauca tamen ex his legi potuerunt. Erant enim ob vetustatẽ propemodum deletæ literæ. Accedit quòd ibidem ex characteribus ipsis Græcis nonnulli essent qui non eandem omnino figurã sed paulò diuersam ab hac quæ hodie in vsu est, haberent. In extrema itaque laminæ parte integris adhuc literis scripta hæc erant.

-καὶ γοῦν ἦν διὰ τοῦτο

οἱ κατὰ τοὺς γονέας λέξαν ἄρ᾽ ἐξόπολιν.

Multæ aliæ id genus laminæ eodem in loco repertæ fuerant, quæ quia in manus imperitorum inciderunt, plus detrimenti biennio acceperunt quàm antea duobus aut certè tribus annorum millibus, nec scio an vlla earum fragmenta sibi adhuc reliqua fecerint indigenæ.

Possunt hîc non importunè addi herbarum quarundam nomina veteribus Celtis, & maximè Druidibus ipsis, quos summos rei medicæ cultores fuisse constat, admodum trita, nec tamen ad hũc vsque diem in idiomate nostro nisi alioqui paucula quædam, retenta, licet in ipso adhuc Græcismo perseuerare conspiciantur. Cuiusmodi χελιδόνιον. *ferè est* χελιδόνιον, *siue* χελιδόνια. *Eam enim Græcam omnino esse vocem hodie nemo est melioribus literis tam leuiter imbutus qui non intelligat, cùm tamen olim non ad Græcorum sed ad Gallorum nostrorũ sermonem maximè*

pertineret. Quod sanè Apuleius Platonicus in eo libro quem de viribus herbarum inscripsit, & quem ex Chirone Centauro Achillis præceptore quondam mutuatus » dicitur, satis apertè testatus est hisce verbis: Alii, inquit, » hirundinaria, Aegyptiis mopop, Dacis eurupillene, Græ- » cis pæonia, Gallis chelidonia dicitur, Eadem voce ex antiquo sermone retenta nonnullos adhuc Galliæ populos vti compertum est.

Docet eodē libro Apuleius herbam quam Græci pentaphillon, alij pentatomon, alij thimiatitin, alij aliter nominarunt, Gallis pempedulam dici. Quod vocabulum planè Græcum esse ἀπὸ τ̃ πέμπε *(sic enim proferunt Aeoles pro* πέντε, *quemadmodum* σπολλῶ *pro* στολλῶ, *&* σπάλεις *pro* στάλεις, *&* πέτραπλα *pro* τέτραπλα *efferre solent)* ϗ τ̃ δούλης, *nullus est qui poßit ambigere.* *Pētaphyllon, veteribus Gallis pempedula.*

ὀθόνναν, *cuius meminit Dioscorides libro secūdo, quam alij maioris chelidoniæ, alij glaucij, alij corniculati papaueris, alij aliarum herbarum succum esse crediderunt, Gallorum priscorum fuisse vocabulum testis est idē Dioscorides in illis fragmentis quæ ad finem librorum de medica materia ponuntur, cùm ait chelidoniam magnam à variis quidem aliter, atque aliter, cæterum à Gallis ipsis* θόνναν *appellari, dempta videlicet priori litera: quanquam me nō latet huiuscemodi fragmenta nōnullis esse suspecta, existimantibus nimirum alius cuiusdam incerti authoris potius esse, quàm Dioscoridis. Quod vt ita se habere concedamus, antiquißimi tamen illius scriptoris, quicūque ille fuerit, authoritatē libēter amplectimur, præsertim cū eum pluribus in locis Apuleio conformem esse videamus.* Ὀθόννα, *veteribus Gallis* θόννα, *voce nihil ferè immutata.*

r. ij.

βάκχαρις, seu βάκχαρ Galloru vocabulum. *Eodem authore βάκχαρις antiquum fuit Gallorum vocabulum pro herba quadam odorata. Hanc enim Magi, inquit, sanguinem Martis appellarunt, Latini perpensam, Osthanes thesam, Aegyptij cerea, alij nardum rusticum, Hetrusci succinum, Galli bacchar. Quæ quidem vox hactenus à solis Græcis retenta est: nam eam hodie Galli nostri non amplius agnoscunt vt propriam, quippe qui sua recentiori & corrupta lingua, diuæ Mariæ chirothecas, vt Ruellius tradit, appellant.*

Merismorion Gelason. *Huc pertinet merismorion, vel vt quidam legunt, merisimorion: itémque gelason, quæ & gnaphalium, & centunculus à Latinis dicitur. Has enim priscas Gallorum fuisse dictiones, cùm alioqui solis hodie Græcis non modò remanserint, sed & Græcas omnino esse etymologia ipsa satis demonstret, idem author asseuerat.*

Infinita id genus vocabula Græca veteribus Gallis vsitatissima si quis curiosius veterum monumenta reuoluat, comperientur, quæ profectò non tantùm generis nostri claritatem, sed & idiomatis Gallici antiquitatem, merámque, vt sic dicam, Græcitatem in Gallicis olim regionibus fuisse ob oculos ponant. Quocirca illos tota errare uia hìc obseruandum est, qui nescio an aliquibus cõiecturis, an falsa quadam persuasione decepti, existimarunt Gallos quondam à Phocensibus ad ora Gallica nauigatione perductis, quo tempore regnabat in Italia Tarquinius, Græcis fuisse literis instructos. Quod vt falsum est, ita & ab omnium animis reuellendum. Neque enim si Phocenses Massiliam profugi & extorres paulò antea dirutã instaurarint, in eáque annos nõ paucos sub ipsum

Tarquinij regnum Gallorum permissu cõsederint, statim eliciendum est (quod hodie nonnulli faciunt) Græcas literas nobis ab illis fuisse traditas, cùm eas mediusfidius & ante Tarquinium, atque adeò ante Romam extructã in Gallia propagatas, magnóque studio exercitatas fuisse compertum sit: ac potius has illi, qui regum nostrorũ legibus tunc temporis obtemperabant, vnà cum politica viuendi ratione à nobis didicerint, quàm nos ab illis. Quid autem hoc loco & chartas antiquißimas literis Græcis descriptas, & monumenta pleraque vetustißima eisdem literis insculpta, penéque ob vetustatem ἀνείδεια, quæ iam ante annos aliquot in multis Lingonum atque Heduorũ urbibus reperta sunt, adferam, quæ certè omnia haud parum huic nostro proposito videantur inseruire? Quid marmora & saxa penè innumera, quæ hoc nostro seculo in antiquißimis quibusdam ædificiis Lutetiæ, Lugduni, Massiliæ, Aureliæ, atque alibi eisdem literis Græcis insculpta uisuntur, longa narratione commemorem? Extant enim libri, quos paßim circumferri videmus, in quibus cùm isthæc satis diligenter expendi videantur, nunc vt & nos illis immoremur necesse non est: præsertim cùm longè validioribus argumentis scientiã, ac literas Græcas olim in Gallia fuisse hactenus docuerimus. Nec verò Græcam illam linguam, qua tunc nostri vtebantur, eandẽ prorsus esse cum hac, quæ hodie ad nostra peruenit tempora, volumus asserere, cùm manifestũ sit multas successu temporis in quolibet idiomate varietates contingere: siue id quidem vsui tribuamus, qui optimus & literarum & artium magister censetur, siue externorum in alienos fines irruptioni,

& confusæ cõmixtioni. Nam Archilochus Græcus chronographus in libro quem περὶ χρόνων *inscripsit, postquam plures Homeros distinctè enumerauit ac depinxit, mox ad posteriorem deueniens, tametsi fateatur Græcorum literas similes esse iis quas à Celtis primùm Galatæ (qui & Scordisci nonnũquam à Strabone appellantur) & Mæones habuerant, non tamen eas negat aliquam fuisse immutationem passas, vt qui ab ipso posteriori Homero reformatas aliquando fuisse testetur. Is enim fuit totius Græciæ consensus, vt penes vnum Homerum, cuius eruditionem, vimque peracris ingenij satis compertam habebant, summa literarum, quæ alioqui sua integritate nondũ constare videbantur, & augendarum, & pro arbitratu recõcinnandarũ esset potestas, atque authoritas. Itaque quod priùs* ὄκως *efferebatur, scribendũ dictauit Homerus* ὅπως: *quod* κόσα, πόσα: *quod* ὀυετουλονία, βηπυλονιά: *quod* ὤνθρωπον, ἄνθρωπον: *quod* τὸ ὦν, τοῦ οὖν: *quod* τὰ ϐρόδλα τὰ ῥόδλα: *quod* τὰ ὄππατα, τὰ ὄμματα: *quod* ἰδλέν, ἰδλεῖν: *quod* φαγέν φαγεῖν. *Quæ paucula exempla nunc pro loci huius exigentia sufficiãt. Etenim plura alia adducere non esset difficile, si quis polylogia delectaretur. Sed ipsius iam Chronographi Archilochi, qui floruit Olympico certamine victor cum Simonide & Aristoxene (vt hinc huius auctoris antiquitatem deprehendamus) idque Olympiade vicesima nona (quod annotauit Eusebius) verba producamus: quæ Latinè*

Græca lingua ab Homero Mæone reformata.

» reddita ad hunc ferè modum sonãt, Vltimũ, inquit, hunc
» Homerum ætas nostra cernit, qui Olympiade vicesima
» tertia, & à Troiæ excidio anno quingentesimo, patria
» Mæon, Olympico certamine victor, iudicio totius Græciæ

„ *eximius poëtarum eſt habitus,& ei ſoli ius tributum eſt*
„ *emendandi characteres, & nomina,& linguam :quæ,vt*
„ *ferunt,Cadmus Samothrax ferè barbara, & plena rudi-*
„ *tatis attulit ſub excidium Troianum, cùm reuerſus eſſet*
„ *à fuga quam inierat ob certamen, quod illi Priſca vxor*
„ *intulerat propter nuptias ſuperinductæ Armoniæ.Poſteá-*
„ *que concludens Archilocus,Sunt ergo,inquit,characteres*
„ *ab Homero forma elegantiore, nam primi barbariem*
„ *quandam vetuſtam,non Phœnicam ferebant, quia nihil*
„ *Phœnicum habent,vt cernimus,ſed Galatarũ,& Mæo-*
„ *num figuras retinent.* Hìc duo ſunt obſeruanda. Primùm enim ex hac ipſa Archilochi auctoritate colligimus primas Græcorum literas à Celtis ſeu Galatis noſtris,qui in Aſiã vt antea dictum eſt, penetrauerant, fuiſſe profectas. Deinde videmus quemadmodum non tantùm nomina, & linguam,verùm etiam characteres ipſos expoliuit,necnon reformauit Homerus Mæon. Et hæc pace eorum dicta ſint, qui Athenienſes, quorum purior ſemper atque elegantior ſermo fuiſſe creditur, non tantùm αὐτόχθονας crediderunt, hoc eſt indigenas, ſuæque, in qua primitus orti fuerant,terræ perpetuos cultores & incolas, ſed linguam quoque ipſam non minus αὐτόχθονα dicere non dubitarũt. Qui ſi animaduerterent regnum Athenienſium anno Moſi triceſimo quinto ſub Cecrope, qui Diphyes poſtea ab eis cognominatus eſt, confuſo quodam initio cæpiſſe, facilè intelligerent nec populi Attici antiquitati,nec etiã eorum idiomati tantùm eſſe indulgendum,quin illæ quas primùm à nobis conſequuti fuerant literæ, ab Homero Mæone quodammodo reformari iuxta nuper allatam

Archilochi ſententiam potuerint. Nec dubium eſt quin & alia pleraque poſt Homeri ætatem obſeruarit, & correxerit poſteritas, cùm fieri nequeat vt in vna aliqua hominis vnius ætate ſuam vlla ſortiatur lingua perfectionẽ, ſed longa opus ſit eruditorum obſeruatione. Nam ex multa longáque eorum quæ delicatioribus auribus verborum magis ſatisfacere videbantur animaduerſione, ingenioſi homines ſuam ſemper loquutionem adornandam & perpoliendam curauerunt, atque demũ in artem paulatim redegerunt. Quin & temporis, rerúmque viciſsitudo nulla non continuò addit, nulla non immutat, ac corrigit, nulla non obliterat: vt non minùs de Græcis quàm de Latinis intelligẽda ſint carmina illa Horatiana,

„ *Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadéntque,*
„ *Quæ nunc ſunt in honore vocabula ſi volet vſus,*
„ *Quem penes arbitrium eſt & vis, & norma loquendi.*

Vndè rectè Thaletem Mileſium dicere ſolitum aiunt

„ τὸν χρόνον σοφώτατον ἁπάντων, ἀνευρίσκειν γὰρ τὰ πάντα.

Nec aliud innuit Pindarus cùm ait,

„ Ἡμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.

Atque hãc profectò varietatẽ non in literis tantummodo, aut linguis, verùm etiã in aliis omnibus noſtri huius hemiſphærij rebus, fieri necnon obſeruari, quemadmodũ ipſa rerũ magiſtra experientia quotidie docemur, certiſsimũ eſt.

IOANNIS PICARDI TOVTRERIANI DE PRISCA CELTOPÆDIA liber Quartus.

QVANQVAM autem non paruam in Græcismo, quemadmodum & in Romanismo, aliísq; procul dubio linguis μεταβολὴν factam esse constet, illa tamen nequaquam eò vsque progressa est in Galloru͂ idiomate, quin adhuc multæ verborum Græcorum myriades hodie in eo ipso à doctioribus obseruentur: quæ perspicuum faciant, & magis magísque confirment Græcam linguam nostris aliquando fuisse familiarem, ne dicam peculiarem. Et certè mirum est, si quis propiùs intueatur, tam multas Græcas voces vulgò apud nos audiri vel à rusticis: meraciùs tame͂, inquit Paradinus, apud ipsos Burgundiones: qui quò longiùs abesse videntur à nouo illo atque hodierno Gallicæ linguæ nitore, hoc magis Græcam, eámque priscam loque͂di consuetudinem referunt. Præcipuè tamen in rusticanis hominibus, atque illis quidem indigenis, itémque in mulierculis (quæ quia domi veluti in nido suo sese perpetuò continent, faciliùs linguam ab auis atque proauis tradita͂ poßunt retinere) manifesta linguæ ipsius Græcæ vestigia perseuerare conspiciuntur. Huiusmodi dictiones non paucas nostra hac te͂pestate obseruarunt Gulielmus Budæus,

Multas dictiones merè Græcas à multis in Gallico sermone fuisse obseruatas.

suæ ætatis eruditorũ (absit verbo inuidia) facilè princeps, Ianus Lascaris, Lazarus Bayfius, Nicolaus Borbonius, Gulielmus Postellus, Carolus Bouillus, Iacobus Syluius, quasdam Renatus Guillonius in quotidianis suis prælectionibus, paucas obiter [redacted] *in suis Chiliadibus, nonnullas etiam Tusanus, quo tẽpore stipendiis regiis in palæstra literaria militabat, nouissiméq; omnium, cæteris longè plures Ioachimus Perionius, vir in abstrusissimis quibúsque authoribus euoluendis nulli secundus. Obseruant & apud nos plurimas viri alij doctrina celebres, quorum longissimus esset cathalogus. Ac ne quid hîc à blateronibus, & maleuolis hominibus confingere, quasíque res ita non habeat comminisci videamur, nos hoc in transcursu nonnullas, quia ad præsentem locũ maximè faciũt, adferemus, quò ab omnibus intelligatur quãta adhuc linguæ ipsius Græcæ cum nostra appareat cognatio Vt igitur earum aliquid non* λεπτομερῶς *quidem, sed quasi* μεταδρομάδην, *quod dici solet, attingamus, ea sunt vt*

Ἀβήασθῃ, auiser, *considerare, seu animaduertere.*

Ἄβυσσος, abisme, *vorago.*

Ἄγρα, *nostris* agraphe: *Quod nomen originem etiam trahere potest* ἀπὸ τοῦ ἄγαν, *valde, &* ἀφῆ, *tractu: quod nimirum valde copulet.*

Αἴσιος, âise, *fortunatus vel fœlix.*

Αἰσχρὸς *turpem, ac fœdum significat. Vnde & hodie in regionibus subalpinis in eadem significatione dicunt* schrós *detracta tantùm diphthongo.*

Ἀλμυραρχὸς, halmyrarch: *ita enim scribendũ est & proferendum, cùm tamen hodie ferè omnes* almiral *men-*

doſè & ſcribant, & proferant. Dicitur enim ἀπὸ τοῦ ἁλμυροῦ, *id eſt à mari, quod ſalſum eſt, &* ἀρχοῦ *principe vel præfecto, quòd ſcilicet ille mari præficiatur.*

Αμβλύνειν, *hebes eſſe, tardare, reprimere, ac retundere ſignificat. Hinc vocem retinemus* âmble, *vt cùm dicimus* beſtes d'âmble. *Eorum ſiquidem animalium inceſſus tardi ſunt, ac retuſi, & neſcio quam hebetudinem, quæ propriè* ἄμβλυσις *dicitur, præ ſe ferentes.*

Ανθραξ, *pleríſque in locis dicitur* anthrac: *carbonem propriè denotat, ſed ad peſtem quoque transferunt.*

Απόστημα, apoſteme, *ſuppuratio, ſiue vlcus.*

Αποστὰς, *participium, &* ἀποστάτης *nomen, à noſtris dicitur* apoſtat, *id eſt deſertor ac præuaricator.*

Αρδεύειν, *irrigare,* & ἀρδεία *irrigatio dicitur. Inde nomẽ apud nos retentũ,* iardin, *pro horto, ꝙ videlicet irrigari ſoleat.*

Αρβυλὶς, & ἀρβύλη, arbillon *prope ad verbum in Mandubiis noſtris efferunt. Eſt autem genus ſoleæ, quod ad ipſius ſoleæ fragmentum tranſtulerunt, quanquam nec vbique recepta vox eſt.*

Ἄρεστον, arreſt, *vel potius ſimplici, r,* areſt. *Eſt autem placitum vel ſententia in curia lata.*

Ατιτάλλειν, atiteler, *id eſt alere parua animalia.*

Βάβαξ, bauard, & baueur, *loquax.*

Βαβάζειν, bauaſſer, *confusè nec ſatis diſtinctè loqui.*

Βάλλειν, bailler, *tradere.*

Βάκτρον, baſton, *baculus aut fuſtis.*

Βαστάζειν, baſter, & βάσταγμα baſt, *ſuſtentaculũ vel geſtamẽ.*

Βαττόλογος, batteleur: *de eo dici ſolet, qui multa, & ea quidem inania loquitur.*

βατ]αλόγ{ν, *siue etiam* βατ]αλίζεσθ, batteler.

βατταλογία, battelerie.

βλαβυρία, bauerie, *loquacitas, vana & inanis blateratio.*

βλασφημεῖν, blaſphemer, *conuitiis inceſſere, aut calumniam inferre.*

βλασφημία, blaſpheme, *conuitium ſeu execratio.*

βλάσφημος, blaſahemateur, *contumelioſus.*

βλενός, & βλενώδης, *ſordidus, ſegnis, & ignauus: nos* villein *dicimus, niſi fortè id nominis à villa quis deduci malit.*

βλένος *apud Ariſtotelem pro ſordibus legitur. Vnde nos* villenie *retinemus.*

βόρβορος, borbe & borbier, *lutum vel cœnum.*

βούλυμα, vouloir, *ſententia ſiue conſilium. Eſt & Græcis* βουλή, *quod conſiſtorium, curiam, vel ſenatum ſignificat: à quo vocabulo noſtri adhuc retinuiſſe videntur* bailli, *hoc eſt* βυλαρχός, *inde &* bailliage, βυλαρχία.

βοῦνος, *tumulũ & aceruũ ſignificat,* boune, *quibuſdã* borne.

βραβεύειν, brauer, *palmam ferre, & præmia diſtribuere.*

βραβεύς, braue, *vel ad verbum* braueus.

βράζειν, & ἐμβράζειν, *quod eſt feruere, nos ad prunas trãſferimus, dicimúſque* embrazer.

βραχιόλια, bracelets, *ſunt ornamenta brachiorum, quibus vtuntur mulierculæ, & effœminatiores adoleſcentes.*

βρέμειν, bramer, *fremere & in vocem erumpere.*

βρένθος, albrenth, *id eſt pullus anatis.*

βρῦσαι, *ad verbum penè dicimus* brouſter, *depaſcere.*

βρόχος, broch, *genus vaſis.*

βρύειν, bruire, *emanare, vt cùm aqua è fonte aut ſcatu-*

rigine manat. Inde etiam bruit *deductum.*

βρύχα, briche, *ſunt tegulæ minores arena & terra cõfectæ.*

βρυχὴ, bruit, *fremitus, & ſtridor,* ἀπὸ τοῦ βρύχειν, *fremere.*

βύβλος, byble, *papyrus, aut liber.*

βύρσα, bourſe, *crumena.*

βύττος, vyt, *propriè ſignificat mulieris pudenda : nos tamen & ad virorum tranſtulimus.*

γὰρ, car, *mutata media in propriam tenuem.*

γερμανὸς, germain, *hinc & germanũ Latini mutuati ſunt.*

γέῤῥον, *gladium, ſcutum, defenſaculum, & quamuis protectionem ſignificat. Noſtri ad ipſum prælium tranſferentes, dixerunt,* guerre.

γλυκύῤῥιζα, riglyce, *dulcis cuiuſdam radicis nomen eſt apud Dioſcoridem.* *(γωριάω.*

γλοῖος, glu, *viſcus.* Gorrier *&* gorriere, *fiunt à verbo*

γραφεὺς greffier, *vel potius* graphyer, *ſi veram etymologiam velimus retinere.*

γρῦπες, *ad verbum dicimus* grypes. *Inde* gryper.

γριπεὺς *per* ι, gripeur : *de piſcatore propriè dici conſueuit, ſed ad alios etiam transferimus.*

γυρόφυλλον, gyrophlée, *quòd eius folia in orbem per frondes creſcant.*

γωνία, coin, *mutatione mediæ in propriam tenuem, id eſt*

δαιμονιακὸς, demoniacle. *(angulus.*

δάμαρ *apud Homerum Iliados tertio pro vxore : à quo nomen retinemus,* dame.

δειπνεῖν, dipner, *prandere.*

δέψειν, depſer : *verbum eſt quo noſtri fullones vtuntur. Significat autem in minutiſsimas partes cõminuere.*

Δυσφημεῖν, dyphamer, *id est turpem ac infamen notam inurere. Hinc & diffamare Latini desumpserunt.*

Διαφέροντα, differents. *Sunt res de quibus est controuersia: ab hoc tractum est Latinum vocabulum.*

Δρυεία, grurie, *prioris literæ mutatione. Est autem munus ad lucos & nemora pertinens, quod qui gerit,* grué *appellatur.*

Ἐγγράφειν, engrauer, *insculpere.*

Ἐγκλίνειν, encliner *prope ad verbum dicimus.*

Ἐκλείζω *excludo: inde* ecluse *Gallicé. Est autem agger aquæ oppositus, ne illa effluat.*

Ἐμβράζειν, embrazer, *hinc & prunas ipsas* brazier *vocamus.*

Ἐμβάλλειν, embler, *inserere & interiicere: nos ad furtum hodie referimus.*

Ἐν, *ad verbum dicimus,* en, *id est in.*

Ἐνδεῖκται, & ἐνδείκνυσθαι, endicter, *hoc est deferre in iudicium, vox est iurisconsultorum.*

Ἐνδείκτης, & ἐνδεικτικός, endicteur, *delator.*

Ἐνδύειν, enduire, *incrustare parietes.*

Ἐν πρώτοις, *veteri locutione retenta dicimus* en-preut, *id est vnum primum.*

Ἐνταμεῖν *in aoristo,* entamer.

Ἐντάσσειν, entasser, *hoc est disponere in horreo manipulos: quod & alicubi* entisser *dicitur.*

Ἐξόμνυσθαι, exomnier, *id est iureiurando excusare eum qui ad diem non adfuit.*

Ἐπιεικίζειν, epicaïzer: *quo verbo frequẽter vti videmus nostros iurisperitos. Significat autem ex fide bona & ex æquo & bono statuere. quod à Budæo annotatũ est.*

Ἐρκάζειν, herceller, *calumniari.*

Ἐρώδιον, heron, *species auis.*

Ἐχῖνος, echîne, *ſpina dorſi.*

ζυγὸς, *vel* ζυγὸῳ; ioug: *Ex hoc Latini iugum formauerunt.*

Ἡμικίνθιον, demicint, *Zonæ ſpecies.*

Ἡμικρανία, migraine, *morbus quo mediũ capitis infeſtatur.*

Ἡμίλιτρον, *ad verbum ferè Lutetiæ dicunt* demi litron. *Significat autem propriè ſelibram.*

Ηχί, *aduerbium loci: etiam Burgundicè dicitur* iki.

Θάνατος, *mors, & θανατῦν, enecare, mulctare, & occidere. Inde* athaner *videntur noſtri Burgundiones retinuiſſe, addito, α, non priuante quidem particula, ſed potius dictionis ſignificationem augente & complente, vt cùm dicunt,* tu me athane, *id eſt tu me enecas. Sunt qui id nominis à verbo ἀτάομαι, quod lædi ac detrimentum pati ſignificat, deduci malint.*

Θεῖον *Picardi ad verbum dicunt* théion, *id eſt, patruum ſiue auunculũ. &* θεῖαν, théie, *amitã ſiue materteram.*

Θεσμὸς *dicitur lex non ſcripta: à quo* theſmoin, *&* theſmoignage *noſtris remanſerunt.*

Θησαυρὸς, *interpoſito, r,* threſor, *à quo theſaurũ Latini ſumpſere.*

Θησαυριστὴς, threſaurier.

Θησαυρίζειν, theſauriſer, *condere & reponere.*

Θολεῖν, thouiller, *turbare. Et nomen* θολερὸς, thouilleur.

Θριγκὸς, thringle, *faſtigium.*

Θύειν, thuer, *mactare, & occidere.*

Θύλα, *apud Ariſtophanem in nubibus pilam rotundam ſonat, nos* etheu *dicimus.*

Ἰάσθειν, iaſer: *propriè ſignificat iraſci, ſed nos & ad nugas transferre ſolemus.*

Ἴανθος *florem,* ἰάνθινον *violaceum ſonat. Et quia quæ flore*

prædita sunt, longè elegantiora habentur, quàm ea quibus deciderunt, fit vt quod præstans est & eximium ianth, ianthe, & ianthil *appellemus. Inde nobiles etiam homines dicti. Proinde reiicienda videretur illa* κακογραφία, *qua vulgò scribunt* gentil, *nisi fortè censeamus etymologiam petendam à nomine* εὐγενεῖς, *quod durissimum apparebit.*

ἱμάτιον, manteau, *integumenti genus.*

ADMONITIO.

Ne mireris, lector, si in quibusdam dictionibus Gallicis orthographiam paulò aliter obseruatam videas, quàm sit hodie vulgò receptum. Siquidē à nobis data opera id alicubi, tāetsi raro factū est, non quasi nouas scripturæ ipsius Gallicæ leges (isthæc enim omnia ab vsu pendent) introducere velimus, sed tantùm vt melius apertiúsque ob oculos ponamus illam quæ est adhuc Gallicæ linguæ cum Græca cognationem: quanquā nec errare, meo iudicio, dici poterunt, si qui fuerint, qui se totos in huiusmodi orthographiæ rationem ferri patiantur. Ea enim hodie doctis mirè blanditur.

καλπάζειν, galoper, *equum ad ingressū exultantem vrgere.*

καλόν, galand, *pulchrum, & elegans.*

κερδαίνειν, guerdonner, *lucrari.*

κέρδος, *quod in accusandi casu facit* κέρδον, *nos* guerdon *dicimus mutatione tenuis in mediam.*

κέφαλη, chef, *caput.* κερέφυλλον, cerpheuil.

κιβώτιον, ciboile, *arca. Dicitur etiam per,* ρ, κιβώριον.

κλάζειν, eclater: *hinc* κλᾶσμα, eclat.

κλεὶς, clef, *clauis.* κλήειν, clozer, *sepire & claudere.*

κοιμητήριον, cemetiere, *dormitorium.*

κοιναρχὸς, & κοιναρχία, cenechal, & cenechausce, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *nisi malimus ex altera dictione Græca, & altera Latina, nomen factum, scribatúrque senarchia, per s, vt sit potestas cui senes præsint, & senarchus dicatur qui illi senatus potestati præsit.*

κόκκυξ, coccu, *auis species, nisi à verbo κωχύζειν deductũ ma*
κολεός, couillon, *testiculus, siue loculus.* *(limus.*
κόλλα, colle, *&* κόλλαζ, coller.
κόπτειν, coper. *Inde & nomen retinemus* copeau. *Sic &* κόπτειν, copeter.
κυρινός, cousin, *vel vt Lutetiæ proferunt*, courin: *annotauit Postellus.*
κοφινός, cophin, *sic Parisienses calatulum vocitant.*
κοχλίς, *&* κοχλός, coquille, *concha.*
κρεμάζειν, *&* κρεμᾶν, *pendere. Vnde & nomen apud nos vsitatum*, cremaillere. *Est autem cathenula vbi ad ignem appendi solent cacabi, & ollæ.*
κρίζειν, crier, *stridere & clamare.*
κρῖ *apud Homerum pro* κριθὴ *legitur. Vnde* pain gri *non malè deduci videtur.*
κρούειν, crouler, *concutere & agitare.*
κυβερνισμός, gouuernement, κυβερνητὴρ gouuerneur, κυβερνᾶν, gouuerner.
κυδιεῖν, cuider, *vndè* oultre-cuidance.
κύπρειον, cuiure, *æs.*
κύριος, cyeur, & cyre. *A quo* μου κύριος mon cyeur *per, c, & y. Verbum est* κυριεύειν, *quod significat suo iure vẽdicare rẽ, & in suam potestatẽ redigere: nostri* çaïsir *(dicunt.*
κυσσός, cuisses, *nates.*
κύων, chien, *vulgò efferunt, Picardicè* kien. *Inde &* κυνάδης, cagnardier.
κωκάλια, coquilles: *hoc nomine significãtur animalia illa quæ testa integuntur, vt limaces, conchylia, aliáque (id genus.*
κωλικὴ, colique.

κωχεύειν, *coire & cum muliere rem habere. Vnde* cocu *nonnulli desumunt.* (*lucinari.*

λανθάνειν, lantherner, *imprudenter aliquid agere, & hal-*

λαὸς, *plebs : nos* λαοὺς, *monosyllaba dictione* Lais *appellamus, id est plebeios.*

λάπτειν, & λάπτειν, laper, *in morem canis potare.*

λάχνη, laine. *Hinc & lanam sumpsere Latini.*

λάκκος, lac, *palus siue fouea.*

λάρυγξ, & *gignendi casus* λάρυγγος. *Vnde passim in Gallia* larigau & laringau *retentum videmus : vt cùm dicunt* ge boy à tire-larigau, *hoc est, tibi propino & laringem extendo. Est autem* λάρυγξ, *dicente Galeno, summa asperæ arteriæ pars, quæ nobis deglutientibus liquidò cernitur, quæ in tantum sublata sursum currit, quantùm gula deorsum trahitur. vulgò appellant*

λείχειν, licher, *lambere.* (le morceau d'Adam.

λήθαργος, letharge, *Latini veternum appellant.*

λοιδορεῖν, lœdorer, *conuitiari : quæ vox in paucis quibusdam Galliæ locis remansit. annotauit Budæus.*

λορδὸς, *ad verbum penè dicimus* lourdau, *id est simplex, humilis & incuruus.*

λόρδωσις, lorderie : *quamuis enim membrorum ac vertebrarum luxationem significet, nos etiam solemus ad animum transferre.*

λώπη *mutatione prioris literæ, & tenuis,* π, *in mediam,* β, *dicimus*, robe.

μαγγανεύειν, *idem sonat quod commiscere. Vnde,* magnie, *quod Burgundionum lingua commixtam hominum turbam significat.*

μάκτρα, meẽt. *Eſt autem arca in qua farina pinſitur, quam panariam vocant.*

μαλακία, maladie, *langor & infirma valetudo: & μαλακὸς,* malade, *quo nomine & mollem Graci intelligunt.*

μαλλοὶ, *villi ſunt ac vellera. Vnde nos* malle, *thecā quandam qua equitando vtimur, appellamus, quòd principiò fieret ex ouiū cū villis vel aliarū pecudū pellibus.*

μανδύα, manteau, *penulæ genus eſt.*

μαστιγοῦν, maſter, *caſtigare.*

ματέω, *id eſt inſanio, & inefficax ſum: & μάταιος ſtultus: & ματία, ſtoliditas atque vanitas. Vnde in ſubalpina regione, atque adeò tota Italia* mat, *&* matteſſa *retenta ſunt. Hinc etiam* mattacin *noſtri retinuerunt.*

Mechant, *deriuari videtur ἀπὸ τῆς μηχανῆς, id eſt ab inuētione, quæ artium fuit origo, quòd qui artibus mechanicis inſeruiant, ſeruili conditione viuant, & interdum inopes ſint, ac per inopiam nonnunquā etiam doloſi, iniqui, ac miſeri euadant.*

μελίλωτος, melilot.

μὲν, *&* δὲ *affirmantes particulæ ſunt, quæ in Gallia illa quam noſtro reſpectu Tranſalpinam vocamus, ſunt vſitatiſsimæ, vt cum dicunt* mende ſi, *hoc eſt, profectò quidem ita eſt.*

μετουσία, metayrie, *vel rectiùs iuxta etymologiam* metayſie, *quemadmodum Pariſienſes proferunt.*

μετέχοντες, *&* μέτοντες, metés: *hi ſunt coloni partiarij.*

μιαρὸς, marault, *ſceleſtus, & impurus, niſi fortè cadere dicamus ab Hebræo marad.*

μινστῆρες, meneſtries, *muſici qui nupturas puellas cantu &*

musicis ambibant vt proci. Remansit hodie nomen so-
lis musicis, cùm olim procis quoque attribueretur.

Μοῦ, σοῦ, οὗ *in gignendi casibus* moy, toy, ſoy: *in dandi ca-*
sibus verò μοὶ, σοὶ, *vel* τοὶ, οἷ, moi, toi, ſoi . *Sic* ἐμὸν, σὸν,
siue τὸν, & ὃν, mon, ton & ſon *dicimus.*

Μοῦστος mouſt. *A quo & Latini mustum.*

Μόθων, *genus est saltationis cuiusdam parum liberalis, cu-*
iusmodi cernitur in arietibus: vnde & id nominis pro
ariete à nostris vsurpatum videri potest.

Μοιδίζειν, medire, *obtrectare seu maledicere.*

Μοῦνος & *per diæresin poëticè* μοῦνος, moyne, *id est so-*
lus aut solitarius.

Μύνη, *ad verbum dicimus,* myne.

Μυστήριον, myſtere. *Latini etiam mysterium.*

Μύσσειν, mynſſer, *comminuere, & in frusta secare.*

Μύσσειν *in futuro infinitiui, cuius thema est* μύω, muſſer, *oc-*
cultare.

Μωκκᾶσθαι, mokker, *irridere.*

Μωκκία, mokkerie.

Μῶκκος, mokkeur, *irrisor & subsannator.*

Μῶλος, molin: *accipitur pro ædificio quodam in flumini-*
bus extructo , quod nostri venustè ad pistrinum redu-
xerunt.

Μωλύνειν, amolyr, *lenire.*

Μωμῶ, mommons. *Verbum est* μωμεύειν, *quod irridere &*
reprehendere sonat , sicut & μωμάομαι : *hinc* μώμημα,
momerie .

Μώρμωρ, murmure. *hinc Latini murmur.*

Νάνος, nain, *pumilio: atq; inde nanum Latini mutuati sunt.*

Νεὸς, nies: *inde compositum* denieſer.

Νεῦρον, nerf. *hinc & neruum Latini.*

Νόσος, noiſe, *animi perturbatio: morbū propriè significat.*

Νῶι *poëticè pro* νῶ *populis transalpinis hactenus remansit.*

Νωχελίζειν non-chaloir, & νωχελὴς non-chaillant.

Ξαίνειν, sener, *id est execare.*

Ξύζειν, syer, *eradere ac depectere.*

Ὁδὸς, *via. Hinc* hodé *Picardicè, id est lassus.*

Οἰκξὸς, *adiuncta syllaba,* bel, *ad maiorem contemptum,* belistre. *Existimauit Erasmus deduci à nomine* βλίτεος, *quod insipidum ac vilem significat, túmque scribendum esset,* belitre, *absque,* c.

Ὀκχὴ, *transmutatis literis,* coche. *i. fulcimentũ vel quies.*

Ὀργίλος, orguilleus, & ὀργίλεσθαι orguillir, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *pro quo nostri* orgueil *dicunt.*

Omaille, *Gallica vox, quæ ad pecora refertur, cadere videtur* ἀπὸ τοῦ μαλλοῦ, *quod vellus sonat, aut etiam* ἀπὸ τοῦ μήλου, *(hoc est ab oue.*

Ὁ στροῦθος, haustruche.

Ὀχεῖν, ocher, *sensim mouere ac impellere.*

Ὁ χίτων *articulo ad nomẽ addito* hocqueton: *genus est ve-(stis.*

Παῖς, & *per diuisionem* πάϊς, *dicitur famulus omnis cuius opera vtimur siue in itinere, siue aliis in rebus. A nobis dicitur,* paie, *per i, non* page *per g, vt hodie perperã scri-(bi videmus.*

Παλλακὴ, paillarde, *concubina.*

Παλλακὸς, paillard, *amasius.*

Πᾶν, ban, *id est vniuersale seu generale: qua voce vtimur cũ in denunciãdis nuptiis, tũ in aliis nostris actionibus.*

Παντοφελλὸς, pantophle. *Est enim* φελλὸς *suber, ex quo tales calcei constant:* πᾶν *verò totum dicitur. Hinc genus illud calceamenti à nostris hoc nomine appellatur, quasi totum subere constet. Cuius vocis asserit se olim à Iano Lascari fuisse admonitum Budæus.*

Γαροικία, paroice, & πάροικος, paroicien.

Παῦρος, poure, *pauper vel paucus.* Γείκειν, piquer.

Πέπτειν, petrir, *pinſere ſeu panem facere.*

Πιλεῖν, piler, *tundere. Hinc nomen* pilori *vbique in Gallia receptum. Eſt autem ſupplicij locus.*

Πίνω, *bibo. Hinc fit verbum compotoribus vſitatiſsimum,* piailler. *Hinc etiam* πίνθα, χεοπίνα, pinthe, & chopine.

Γλὰξ, placart, *cruſta vel tabula.*

Γλαθάνη, *vas in quo fiunt placentæ: nos ad ſpeciem quandam reduximus, quam appellamus* plathine.

Ποῦ, *detracta priori litera,* ou, *id eſt vbi.*

Ποινὴ, poine, *pœna ſiue vltio.*

Πόῤῥον, porrêe *noſtri vocãt, genus ad ſpeciẽ trãsferentes.*

Πόρπη, porpoint. *ſignificat monile: nos etiam ad thoracem (tranſtulimus.*

Γορφύρα, porpre.

Γρίζειν, briſer, *ſecare.* Πρόπρεπον, propre, *condecorum.*

Γρώκτον, *anum ſeu podicem vocant. Vnde vox Picardica* poictron, *qua ignauum deſignant.*

Γύος πύεος, boue: *Latinis pus.*

Πύργος, bourg: *à quo etiam* bourgeois.

Ραίειν, raïer, *delere. Et in futuro* ῥαίσειν, raſer.

Ράπτειν, raptaſſer, *reſarcire vel reficere.*

Ραψῳδεῖν, rauaulder.

Ρέμβειν, reuer, *vacillare. hinc* ῥεμβασμὸς, reuerie.

Ρεῦμα *ad verbum dicimus* reume. *Inde* ῥευματικὸς, reumatique.

Ρύμη, rhue, *ablata litera* μ.

Ρυτὶς, ride, *ruga.* Ρυθμὸς, rhyme, *conſonãtia ſeu modulatio.*

Ρώθων, *pars gutturis. Hinc vſitatum noſtris Burgundionibus verbum,* rhother, *pro eructare.*

Ῥάκεσθαι *addita syllaba per prothesin*, corrocer, *irasci.*

Ῥώξ, roc, *&* rochier.

Σάκκος, sac. Σαφείρ, saphre.

Σβεννύειν, bennyr. *Significat propriè idem quod restinguere: sed videntur nostri ea ratione ad exules transtulisse, quòd reipublicæ extincti sint.*

Σερίζειν, serrer, *firmare & constringere.*

Σκίουρος, escurieu, *genus bestiolæ, mustellæ ferè similis.*

Σκέπη, cape, & chape, *intugumenti genus.*

Σκεπαστήριον, eschapatoire. Σκῆπτρον, sceptre.

Σκῦτος, escut, *quòd olim ex corio fieret.*

Σμοιός, qui est en esmoi, *id est tristis, & perturbatus.*

Σοβεῖν, ober, *per aphæresin, moueri.*

Σπάθη, *instrumentum defensorium, quod nos ad speciem transferentes dicimus* espée, *quanquam Itali verbum Græco magis affine retinuerunt*, spada.

Σπάνη, *inopiam significat & penuriam. A quo vulgus nostrum in Mandubiis*, espante, *retinuit.*

Σπασμός, & σπάσμα, pasme, *contorsio, neruorũ rigor, ac* (*distensio.*

Σπαταλᾶν, batteler, *vel* esbatre, *delitiari.*

Στέλλειν, estaller, *id est disponere, vti faciunt mercatores ac propolæ. Hinc* στέλμα, estel, *vulgò* estau. *Est autem locus vbi res disponuntur venales.*

Στύφειν, estoupher. Στρατιώτης, stradiot: *de milite dicitur.*

Στρουθός, *addito articulo* haustruche.

Συνάγχη, squinancie, *morbus quo fauces angũtur, angina.*

Σχοῖνος, chœne, *funis, seu cathena.*

Ταλαός, *quod est miser, nos* taillé *dicimus: vt cùm sic loquimur,* il est taillé d'auoir du mal.

τάττειν, *in futuro* τάξειν, taxer:*hinc etiam Latini taxare.*

τάξις, taxe. *Est & τάξις Gallicè* tas: *quod vsurpare solemus pro ordine quodam atque dispositione rerum, vt argenti, tritici, hominum. dicimus enim* vng tas de gens. *Compositum est* ἐντάσσειν, entasser, *id est disponere in horreo manipulos.*

τέμνειν, *in secundo aoristo* ταμεῖν, *&* ἐνταμεῖν, *quod nos penè ad verbũ dicimus* entamer.*i.secare aut dissecare.*

τιθηνὴ, tethine, *nutrix quæ admouet infantibus vbera.*

τίλλειν, tiller: *&* ἀπὸ τοῦ κενοῦ *habemus* cheneuotte.

τρίχειν, tricher, *fallere & corrumpere.Vnde* tricherie.

τριγωδεῖν, gaudir, *quod alij venustiùs dicunt* trigoder. *Inde* la trigodainne.

τραγήματα, *bellaria sunt omnis generis:nos ad certum genus, quod* dragée *vocatur, transtulimus, mutatione tenuis,τ,in mediam δ.*

τριπᾶν, troüer, *exterebrare.*

τρυφὴ, *delitiæ sunt & ludibria: sed nos ad certã delitiarũ speciem transtulimus, quam appellamus* truphe.

τύμβος, tumbe, *bustum, vel sepulchrum.*

τυρβάζειν, tyrer, *conari seu moliri.*

ὑδρώπισις, hydropisie, *aqua intercus.*

ὑπόκρισις, hypocrisie, *simulatio:* ὑποκριτὴς, hypocrite, *simulator.*

ὑποθήκη, hypotheque, *suppositio: qua voce frequentissimè vtuntur in vulgaribus nostris contractibus.*

φαῦλος, fol: *&* φαυλίζειν, folier.

φλέγμα, *pituita est,nos* flegme: & φλεγματικὸς, flegmatique.

Fleche ἀπὸ τοῦ φλέγειν, *quod ardere significat, deriuatum apparet, quòd sagittæ nimiam ob velocitatem ignem*

concipere videātur, dum per aërem medium feruntur.

φολκός, fol, *ridiculus.*

φορία, *abundantia. Hinc* foire, *quòd rebus abundet.*

φορτίον, fardeau, *mutata tenui in mediam.*

φρίττειν, phrisser, *horrere ac tremere, vt in febre.*

φρίκη, phriçon, *id est horror frigoris aut febris.*

φρυάττομαι, *terreor: inde* effrayé, *id est terrefactus.*

φρικτός, frit, *tostus & exsiccatus: &* φρύγειν frire, *torrere.*

φύειν, aphyer, *serere siue plantare.*

χαίρεσθαι, *aut* χαίρειν, faire bonne chere, *id est rectè valere.*

χαλβάνη, *mutata tantùm aspirata in suam mediam cùm alicubi in Gallia, tum maximè in regionibus subalpinis*, gaban *dicitur: & alibi*, gabane, *prope ad verbum. Propriè genus est vestimenti colorem album ac sublucidum habens: cuiusmodi ferè est succus siue lachryma ferulæ in Syria nascētis, quam Metopium vocant: quæ & ipsa galbanum dicitur. Reperitur &* χαλβάνη *pro toga Phrygia: à quo nomine prædictā illam vocem deduci nō malè iudicari potest. Me huiusce nominis admonuit Hieronymus à Scalingiis, tam Plosaschinæ familiæ stemmatibus, quàm literarum & Astrologiæ scientia insignis.*

χάραξ, eschalacs, *adminiculum est quo sustentantur vites.*

χάρμη, escharmouche.

χίτων, *& articulo præposito,* ὁχίτων, hoqueton.

χέζειν, chier, *naturæ purgandæ obsequi.*

χλώριον, loriot, *auium species.*

χοῖρος, *& per diæresin* χόϊρος, choërin, *vel* goërin *Burgundicè: porcus, ab aliis* goret *dicitur.*

χραύειν, *quod exulcerare significat, nostri ad oculos transtulerunt, dicúntque* chreuer, *quod cum aspiratione scribendum videtur.*

χρίμπτειν, grimper, *vel* griper, *id est complecti & niti (manibus.*

βλάφαρος, blaphar.

γελλὸς, beille, *balbus,* & ψελλίζειν, beiller.

ὤχρα, ochre. *Meminerunt Plinius & Dioscorides.*

ὤθω, *impello, deiicio, ac deturbo, nostri* other *dicunt.*

Hìc mihi tempus deesset, & oratio virésque animi penitus deficerent, si omnia illa, quæ passim in sermone nostro quotidiano obseruantur, merè Græca vocabula conscribenda susciperem. Non enim me tanto oneri parem esse video aut iudico.

οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσα, *vt Homerus ait,* δέκα δὲ στόματ' εἶεν, φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

Quòd si quis alia requirat, longè plura à Perionio nuper annotata sunt, longè etiam plura à Budæo, quamuis vterque ne centesimam quidem partem eorum quæ potuisset, si tamen voluisset, annotauerit. Posset & hodie, si vellet, id ipsum fœlicissimè præstare magnus ille Græcarum literarum helluo Turnebus. Adde quòd & alia alij solertissimè annotarunt, & quotidie annotant: ac nos etiam quædam tum legendo, tum doctos audiendo obseruauimus. Cæterùm neminem existimarim adeò Midam, qui non his, quæ hactenus adducta sunt, perspectis, rectè intelligat, ac iudicet eam esse nostræ cum Græca lingua affinitatem, vt hæc aliquando nobis propria ac familiarissima fuisse videatur. Atque id sanè multò magis iudicabit, si præterea agnoscat nullam esse linguam, cuius

Gallica lingua Græcæ mirè correspondẽs.

phrasis propiùs ac meliùs nostra Graecæ correspondeat. Quod optimè norunt, qui libros ex ipso Hellenismo in alias peregrinas linguas transferunt. Quarum omnium nulla penè est quæ ab ipsis Græcorũ locutionibus atque idiotismis non procul absit, nostra Gallica excepta: quæ propriè admodum (huiusce rei peritos hic in testimonium aduoco) vertit & interpretatur Græcam, quæque & meliùs & significantiùs nonnulla ante oculos ponit, quàm natura ipsa moliatur. Etsi enim Latinus sermo elegantissimus habeatur & copiosus, nequaquam tamen, vt ait D. Hieronymus proprietatem Græcam exprimit. Videtur namque, vt Quintiliani verbis vtar, sermo ipse Romanus non recipere illam solis concessam Atticis venerem. Propterea scitè admodũ scribit in hæc verba Gellius, Adieci, inquit, sæpe animum ad vocabula rerum non paucissima, quæ neque singulis verbis, vt à Græcis, neque si maximè pluribus eas res verbis dicamus tam dilucidè, támque aptè demonstrari Latina oratione possunt, quàm Græci ea dicunt primis vocibus. Vnde & Lucretius multa se Græcè dicere affirmat propter egestatẽ linguæ Latinæ, & rerum nouitatem. Taceo alias omnes linguas verborum copia minùs auctas, quibus nullum est cum Græca commercium, nulla affinitas: sed, quod dici solet, diametro inter se distant, etiamsi non careant illæ suo fortasse nitore, sua elegantia. Solus noster Celtismus Græcitatem ipsam sibi alioqui coniunctissimam, planéque germanam refert, solúsque verbum verbo reddere, atque exprimere potest. Quod certè ob id maximè accidit, quòd ea nobis aliquando familiarissima fuerit, & veluti pe-

Sermo Latinus proprietatẽ Græcam non exprimit

Cur maximā immutationē Gallica lĭgua passa sit.

culiaris. Neque hîc miretur quispiam illam subinde contigisse idiomatis nostri mutationem, qualem hodie cernimus, cùm tota huiusmodi confusio fatali ac pernitiosæ externorum in Gallicos fines traiectioni ferè adscribenda sit. Accedit etiam quòd acceptam primùm illam à nostris lingam Græci longè cultiorem (vt superius diximus) atque ornatiorem in dies reddiderunt, tandémque eò perduxerunt elegantiæ & venustatis, vt, scribente [redacted], ambitiosæ meretrici à nonnullis comparata fuerit. Itaque dum illi toto nixu linguæ suæ ornatui insisterent, omnémque suam curam atque operam literis capessendis insumerent, & veluti consecrarent, nostri, qui iam ad eruditionis culmen peruenerant, declinare, idioma deperdere, & literarum studium paulatim remittere incipiebant, faciléque permittebant se à Græcia vinci. Siquidem barbaræ nationes Gallicum inuadentes solum, suos inuexerunt mores, suos ritus, suam linguam, sua qualiacunque studia. Et nos, mutatis rerum ferè omnium vicibus, qui antea, vt Cæsar ait, Germanos virtute multò inferiores vincere solebamus, quique multis populis maximo semper terrori fueramus, ab iisdem nos rursum vinci nescio quomodo patiebamur. Vtque rerum humanarum vicißitudinem agnoscas, qui antea armorum fulmine ac tempestate omnia proculcabant, iam cœlo parum fauente, bellica virtute vnà cùm literis ipsis (proh dolor) destitui, & iugum externorum, barbariémque vel inuiti cogebantur recipere.

Galli veteres Germaniam aliquādo possederunt.

Cognitum est veteres Gallos non tantùm aliquàdo in Germaniam penetrasse, sed eius etiam fuisse possessores, quemadmodum ex Cornelio Tacito in libro de mo-

ribus Germanorum deprehendi poteſt, qui de Bohemis
» loquens: ſcribit hunc in modum: Validiores olim Germa-
» norum fuiſſe ſummus authorum D. Iulius tradit, eóque
» credibile eſt etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Et
» poſtea, Igitur, inquit, inter Hercyniam ſyluam, Rhe-
» númque, & Mœnum amnes Heluetij, vlteriora Boij,
» Gallica vtraque gens tenuere, manet adhuc Bohemi
» nomen. Attamen fato neſcio quo poſtea accidit, vt
vice verſa Germani ipſi impetum in noſtros fines non
ſine magna rerum Gallicarum pernitie facerent. Nam Cymbri in Galliam impetũ fecerũt.
Cymbri, Theutoníque quàm plurimis ante Cæſarem an-
nis Galliam omnem (nedum eius partem) occupauerant,
vti ab eodem Cæſare memoriæ datum eſt in primo com-
mentariorum de bello Gallico. Qui rurſus libro ſecundo
tradit pleroſque Belgas ortos eſſe à Germanis, Rhenúm- Belgæ pleriq; à Germanis orti.
que antiquitus tranſductos propter loci fertilitatem ibi
conſediſſe, & Gallos qui ea loca incolerent, expuliſſe:
ídque ſe à Rhemis edoctum. Quin etiam cum aliquando
ipſi Cymbri ac Theutones relictis auitis ſedibus, & depo-
ſitis citra Rhenum impedimentis omnem Galliam vexã-
do, & occupando infeſtarent, eóſque Romanorum legati
in ordinem cogere niterentur, Sillanus, Seruilius Cepio, Cymbrorum victoria.
& Manlius ab his caſtris exuti, necnõ fugati ſunt. Quos
deinde C. Marius ſecundò Conſul duobus initis prælijs Cymbri victi
cum Catullo collega deuicit ad Aquas Sextias. Quod in
quadam diui Hieronymi ad Gerontiam epiſtola licet in-
" tueri, cuius verba ſic habent: Gens, inquit, Theutonum
" ex vltimis Germaniæ profecta litoribus omnem Galliam
" inundauit, ſæpiúſque cæſis Romanis exercitibus, ad

v. iij.

musicis ambibant vt proci. Remansit hodie nomen solis musicis, cùm olim procis quoque attribueretur.

Μῦ, σῦ, ῦ *in gignendi casibus* moy, toy, soy: *in dandi casibus verò* μοὶ, σοὶ, *vel* τοὶ, οἷ, moi, toi, soi. *Sic* ἐμὸν, σὸν, *siue* τὸν, *&* ὃν, mon, ton *&* son *dicimus.*

Μῦστος mouſt. *A quo & Latini mustum.*

Μόθων, *genus est saltationis cuiusdam parum liberalis, cuiusmodi cernitur in arietibus: vnde & id nominis pro ariete à nostris vsurpatum videri potest.*

Μοιδίζειν, medire, *obtrectare seu maledicere.*

Μῶνος *&* *per diæresin poëticè* μοῦνος, moyne, *id est solus aut solitarius.*

Μύνη, *ad verbum dicimus*, myne.

Μυστήριον, myſtere. *Latini etiam mysterium.*

Μύσσειν, mynſſer, *comminuere, & in frusta secare.*

Μύσσειν *in futuro infinitiui, cuius thema est* μύω, muſſer, *occultare.*

Μωκκᾶσθαι, mokker, *irridere.*

Μωκκία, mokkerie.

Μῶκκος, mokkeur, *irrisor & subsannator.*

Μῶλος, molin: *accipitur pro ædificio quodam in fluminibus extructo, quod nostri venustè ad pistrinum reduxerunt.*

Μωλύνειν, amolyr, *lenire.*

Μωμῶ, mommons. *Verbum est* μωμεύειν, *quod irridere & reprehendere sonat, sicut &* μωμάομαι: *hinc* μώμημα, momerie.

Μώρμωρ, murmure. *hinc Latini murmur.*

Νάνος, nain, *pumilio: atq; inde nanum Latini mutuati sunt.*

Νεὸς, nies: *inde compositum* denieſer.

Νεῦρον, nerf. *hinc & neruum Latini.*

Νόσος, noiſe, *animi perturbatio: morbũ propriè significat.*

Νῦι *poëticè pro* νῶ *populis transalpinis hactenus remansit.*
Νωχελίζειν non-chaloir, *&* νωχελὴς non-chaillant.
Ξαίνειν, sener, *id est execare.*
ξύζειν, syer, *eradere ac depectere.*
Ὁδὸς, *via. Hinc* hodé *Picardicè, id est lassus.*
Οὐτιδανὸς, *adiuncta syllaba, bel, ad maiorem contemptum,* belistre. *Existimauit Erasmus deduci à nomine* βλίτεος, *quod insipidum ac vilem significat, túmque scribendum esset,* belitre, *absque,* c.
Οκχὴ, *transmutatis literis,* coche. *i. fulcimentũ vel quies.*
Ὀργίλος, orguilleus, *&* ὀργίλεσθαι orguillir, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *pro quo nostri* orgueil *dicunt.*
Omaille, *Gallica vox, quæ ad pecora refertur, cadere videtur* ἀπὸ τοῦ μαλλοῦ, *quod vellus sonat, aut etiam* ἀπὸ τοῦ μήλου, *(hoc est ab oue.*
ὁ στρουθὸς, haustruche.
Ὀχεῖν, ocher, *sensim mouere ac impellere.* *(stu.*
ὁ χιτὼν *articulo ad nomẽ addito* hocqueton: *genus est ve-*
Παῖς, *&* per *diuisionem* πάϊς, *dicitur famulus omnis cuius opera vtimur siue in itinere, siue alijs in rebus. A nobis dicitur,* paie, *per* i, *non* page *per* g, *vt hodie perperã scri-*
Παλλακὴ, paillarde, *concubina.* *(bi videmus.*
Παλλακὸς, paillard, *amasius.*
Πᾶν, ban, *id est vniuersale seu generale: qua voce vtimur cũ in denunciãdis nuptiis, tũ in aliis nostris actionibus.*
Παντοφελλὸς, pantophle. *Est enim* φελλὸς *suber, ex quo tales calcei constant:* πᾶν *verò totum dicitur. Hinc genus illud calceamenti à nostris hoc nomine appellatur, quasi totum subere constet. Cuius vocis asserit se olim à Iano Lascari fuisse admonitum Budæus.*

Ῥώκεσθαι *addita syllaba per prothesin*, corrocer, *irasci.*
Ῥώξ, roc, *&* rochier.
Σάκκος, sac. Σαφρὸν, saphre.
Σβεννύειν, bennyr. *Significat propriè idem quod restinguere : sed videntur nostri ea ratione ad exules transtulisse, quòd reipublicæ extincti sint.*
Σερίζειν, serrer, *firmare & constringere.*
Σκίουρος, escurieu, *genus bestiolæ, mustellæ ferè similis.*
Σκέπη, cape, & chape, *intugumenti genus.*
Σκεπαστήριον, eschapatoire. Σκῆπτρον, sceptre.
Σκῦτος, escut, *quòd olim ex corio fieret.*
Σμοιὸς, qui est en esmoi, *id est tristis, & perturbatus.*
Σοβεῖν, ober, *per aphæresin, moueri.*
Σπάθα, *instrumentum defensorium, quod nos ad speciem transferentes dicimus* espée, *quanquam Itali verbum Græco magis affine retinuerunt,* spada.
Σπάνη, *inopiam significat & penuriam. A quo vulgus nostrum in Mandubiis,* espante, *retinuit.*
Σπασμὸς, *&* σπάσμα, pasme, *contorsio, neruorũ rigor, ac distensio.*
Σπαταλᾶν, batteler, *vel* esbatre, *delitiari.*
Στέλλειν, estaller, *id est disponere, vti faciunt mercatores ac propolæ. Hinc* στέλμα, estel, *vulgò* estau. *Est autem locus vbi res disponuntur venales.*
Στύφειν, estoupher. Στρατιώτης, stradiot: *de milite dicitur.*
Στρουθος, *addito articulo* haustruche.
Συνάγχη, squinancie, *morbus quo fauces angũtur, angina.*
Σχοῖνος, chœne, *funis, seu cathena.*
Ταλαιὸς, *quod est miser, nos* taillé *dicimus: vt cùm sic loquimur,* il est taillé d'auoir du mal.

τάττειν, *in futuro* τάξειν, taxer:*hinc etiam Latini taxare.*

τάξις, taxe. *Est & τάξις Gallicè* tas: *quod vsurpare solemus pro ordine quodam atque dispositione rerum, vt argenti, tritici, hominum. dicimus enim* vng tas de gens. *Compositum est* ἐντάσσειν, entasser, *id est disponere in horreo manipulos.*

τέμνειν, *in secundo aoristo* ταμεῖν, *&* ἐνταμεῖν, *quod nos penè ad verbũ dicimus* entamer.*i.secare aut dissecare.*

τιθήνη, tethine, *nutrix quæ admouet infantibus vbera.*

τίλλειν, tiller: *&* ἀπὸ τοῦ κεινοῦ *habemus* cheneuotte.

τρίχειν, tricher, *fallere & corrumpere.Vnde* tricherie.

τριγωδεῖν, gaudir, *quod alij venustiùs dicunt* trigoder. *Inde* la trigodainne.

τραγήματα, *bellaria sunt omnis generis:nos ad certum genus, quod* dragée *vocatur, transtulimus, mutatione tenuis,* τ, *in mediam* δ.

τριπᾶν, troüer, *exterebrare.*

τρυφὴ, *delitiæ sunt & ludibria: sed nos ad certã delitiarũ speciem transtulimus, quam appellamus* truphe.

τύμβος, tumbe, *bustum, vel sepulchrum.*

τυρβάζειν, tyrer, *conari seu moliri.*

ὑδρώπισις, hydropisie, *aqua intercus.*

ὑπόκρισις, hypocrisie, *simulatio:* ὑποκριτὴς, hypocrite, *simulator.*

ὑποθήκη, hypotheque, *suppositio: qua voce frequentissimè vtuntur in vulgaribus nostris contractibus.*

φαῦλος, fol: *&* φαυλίζειν, folier.

φλέγμα, *pituita est, nos* flegme *&* φλεγματικὸς, flegmatique. Fleche ἀπὸ τοῦ φλέγειν, *quod ardere significat, deriuatum apparet, quòd sagittæ nimiam ob velocitatem ignem*

concipere videātur, dum per aërem medium feruntur.

Φολκός, fol, *ridiculus.*

Φορία, *abundantia. Hinc* foire, *quòd rebus abundet.*

Φορτίον, fardeau, *mutata tenui in mediam.*

Φρίττειν, phriſſer, *horrere ac tremere, vt in febre.*

Φρίκη, phriçon, *id eſt horror frigoris aut febris.*

Φρυάττομαι, *terreor: inde* effrayé, *id eſt terrefactus.*

Φρικτός, frit, *toſtus & exſiccatus: & Φρύγειν* frire, *torrere.*

Φύειν, aphyer, *ſerere ſiue plantare.*

χαίρεσθαι, *aut* χαίρειν, faire bonne chere, *id eſt rectè valere.*

χαλβάνη, *mutata tantùm aſpirata in ſuam mediam cùm alicubi in Gallia, tum maximè in regionibus ſubalpinis,* gaban *dicitur: & alibi,* gabane, *prope ad verbum. Propriè genus eſt veſtimenti colorem album ac ſublucidum habens: cuiuſmodi ferè eſt ſuccus ſiue lachryma ferulæ in Syria naſcētis, quam Metopium vocant: quæ & ipſa galbanum dicitur. Reperitur & χαλβάνη pro toga Phrygia: à quo nomine prædictā illam vocem deduci nō malè iudicari poteſt. Me huiuſce nominis admonuit Hieronymus à Scalingiis, tam Ploſaſchinæ familiæ ſtemmatibus, quàm literarum & Aſtrologiæ ſcientia inſignis.*

χάραξ, eſchalacs, *adminiculum eſt quo ſuſtentantur vites.*

χάρμη, eſcharmouche.

χιτών, *& articulo præpoſito,* ὁχίτων, hoqueton.

χέζειν, chier, *naturæ purgandæ obſequi.*

χλώριον, loriot, *auium ſpecies.*

χοῖρος, *& per diæreſin* χόϊρος, choërin, *vel* goërin *Burgundicè: porcus, ab aliis* goret *dicitur.*

χραύειν, *quod exulcerare ſignificat, noſtri ad oculos tranſtulerunt, dicúntque* chreuer, *quod cum aſpiratione ſcribendum videtur.*

χρίμπτειν, grimper, *vel* griper, *id eſt complecti & niti (manibus.*

γάφαρος, blaphar.

γελλός, beille, *balbus*, & ψελλίζειν, beiller.

ὤχρα, ochre. *Meminerunt Plinius & Dioſcorides.*

ὤθω, *impello, deiicio, ac deturbo, noſtri* other *dicunt.*

Hìc mihi tempus deeſſet, & oratio viréſque animi penitus deficerent, ſi omnia illa, quæ paſſim in ſermone noſtro quotidiano obſeruantur, merè Græca vocabula conſcribenda ſuſciperem. Non enim me tanto oneri parem eſſe video aut iudico.

οὐδ᾽ εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσα, *vt Homerus ait*, δέκα δὲ στόματ᾽ εἶεν, φωνὴ δ᾽ ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

Gallica lingua Græcæ mirè correspondẽs.

Quòd ſi quis alia requirat, longè plura à Perionio nuper annotata ſunt, longè etiam plura à Budæo, quamuis vterque ne centeſimam quidem partem eorum quæ potuiſſet, ſi tamen voluiſſet, annotauerit. Poſſet & hodie, ſi vellet, id ipſum fœliciſsimè præſtare magnus ille Græcarum literarum helluo Turnebus. Adde quòd & alia alij ſolertiſsimè annotarunt, & quotidie annotant: ac nos etiam quædam tum legendo, tum doctos audiendo obſeruauimus. Cæterùm neminem exiſtimarim adeò Midam, qui non his, quæ hactenus adducta ſunt, perſpectis, rectè intelligat, ac iudicet eam eſſe noſtræ cum Græca lingua affinitatem, vt hæc aliquando nobis propria ac familiariſsima fuiſſe videatur. Atque id ſanè multò magis iudicabit, ſi præterea agnoſcat nullam eſſe linguam, cuius

phrasis propiùs ac meliùs nostra Græcæ correspondeat. Quod optimè norunt, qui libros ex ipso Hellenismo in alias peregrinas linguas transferunt. Quarum omnium nulla penè est quæ ab ipsis Græcorũ locutionibus atque idiotismis non procul absit, nostra Gallica excepta: quæ propriè admodum (huiusce rei peritos hìc in testimonium aduoco) vertit & interpretatur Græcam, quæque & meliùs & significantiùs nonnulla ante oculos ponit, quàm natura ipsa moliatur. Etsi enim Latinus sermo elegantissimus habeatur & copiosus, nequaquam tamen, vt ait D. Hieronymus proprietatem Græcam exprimit. Videtur namque, vt Quintiliani verbis vtar, sermo ipse Romanus non recipere illam solis concessam Atticis venerem. Propterea scitè admodũ scribit in hæc verba Gellius, Adieci, inquit, sæpe animum ad vocabula rerum non paucissima, quæ neque singulis verbis, vt à Græcis, neque si maximè pluribus eas res verbis dicamus tam dilucidè, támque aptè demonstrari Latina oratione possunt, quàm Græci ea dicunt primis vocibus. Vnde & Lucretius multa se Græcè dicere affirmat propter egestatẽ linguæ Latinæ, & rerum nouitatem. Taceo alias omnes linguas verborum copia minùs auctas, quibus nullum est cum Græca commercium, nulla affinitas: sed, quod dici solet, diametro inter se distant, etiamsi non careant illæ suo fortasse nitore, sua elegantia. Solus noster Celtismus Græcitatem ipsam sibi alioqui coniunctissimam, planéque germanam refert, solúsque verbum verbo reddere, atque exprimere potest. Quod certè ob id maximè accidit, quòd ea nobis aliquando familiarissima fuerit, & veluti pe-

Sermo Latinus proprietatẽ Græcam non exprimit

v. ij.

Cur maximā immutationē Gallica ligua passa sit.

culiaris. Neque hîc miretur quispiam illam subinde contigisse idiomatis nostri mutationem, qualem hodie cernimus, cùm tota huiusmodi confusio fatali ac pernitiosæ externorum in Gallicos fines traiectioni ferè adscribenda sit. Accedit etiam quòd acceptam primùm illam à nostris lingam Græci longè cultiorem (vt superius diximus) atque ornatiorem in dies reddiderunt, tandémque eò perduxerunt elegantiæ & venustatis, vt, scribente [redacted], ambitiosæ meretrici à nonnullis comparata fuerit. Itaque dum illi toto nixu linguæ suæ ornatui insisterent, omnémque suam curam atque operam literis capessendis insumerent, & veluti consecrarent, nostri, qui iam ad eruditionis culmen peruenerant, declinare, idioma deperdere, & literarum studium paulatim remittere incipiebant, faciléque permittebant se à Græcia vinci. Siquidem barbaræ nationes Gallicum inuadentes solum, suos inuexerunt mores, suos ritus, suam linguam, sua qualiacunque studia. Et nos, mutatis rerum ferè omnium vicibus, qui antea, vt Cæsar ait, Germanos virtute multò inferiores vincere solebamus, quíque multis populis maximo semper terrori fueramus, ab iisdem nos rursum vinci nescio quomodo patiebamur. Vtque rerum humanarum vicißitudinem agnoscas, qui antea armorum fulmine ac tempestate omnia proculcabant, iam cælo parum fauente, bellica virtute vnà cùm literis ipsis (proh dolor) destitui, & iugum externorum, barbariémque vel inuiti cogebantur recipere.

Galli veteres Germaniam aliquādo possederunt.

Cognitum est veteres Gallos non tantùm aliquãdo in Germaniam penetrasse, sed eius etiam fuisse possessores, quemadmodum ex Cornelio Tacito in libro de mo-

ribus Germanorum deprehendi potest, qui de Bohemis » loquens: scribit hunc in modum: Validiores olim Germa- » norum fuisse summus authorum D. Iulius tradit, eóque » credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos. Et » postea, Igitur, inquit, inter Hercyniam syluam, Rhe- » númque, & Mœnum amnes Heluetij, vlteriora Boij, » Gallica vtraque gens tenuere, manet adhuc Bohemi » nomen. Attamen fato nescio quo postea accidit, vt vice versa Germani ipsi impetum in nostros fines non sine magna rerum Gallicarum pernitie facerent. Nam Cymbri, Theutoníque quàm plurimis ante Cæsarem annis Galliam omnem (nedum eius partem) occupauerant, vti ab eodem Cæsare memoriæ datum est in primo commentariorum de bello Gallico. Qui rursus libro secundo tradit plerosque Belgas ortos esse à Germanis, Rhenúmque antiquitus transductos propter loci fertilitatem ibi consedisse, & Gallos qui ea loca incolerent, expulisse: ídque se à Rhemis edoctum. Quin etiam cum aliquando ipsi Cymbri ac Theutones relictis auitis sedibus, & depositis citra Rhenum impedimentis omnem Galliam vexãdo, & occupando infestarent, eósque Romanorum legati in ordinem cogere niterentur, Sillanus, Seruilius Cepio, & Manlius ab his castris exuti, necnõ fugati sunt. Quos deinde C. Marius secundò Consul duobus initis prælijs cum Catullo collega deuicit ad Aquas Sextias. Quod in quadam diui Hieronymi ad Gerontiam epistola licet in- » tueri, cuius verba sic habent: Gens, inquit, Theutonum » ex vltimis Germaniæ profecta litoribus omnem Galliam » inundauit, sæpiúsque cæsis Romanis exercitibus, ad

Cymbri in Galliam impetũ fecerũt.

Belgæ plerique à Germanis orti.

Cymbrorum victoria.

Cymbri victi

Aquas Sextias Mario pugante superata est. Hæc ille. Adhæc apud omnes penè auctores sine controuersia vlla constat Aduaticos celebres Belgarum populos ex his prognatos Cymbris atque Theutonibus, quemadmodum & Metenses à Tribocis, & Sequanos, Heduos, maiorémque totius Burgundiæ partem ab aliis quibusdã Germanis, quos secum abduxerat Ariouistus eorum rex. Is enim cum exercitu centum & viginti millium Germanorum diu in Sequanorum finibus regnauit, occupata, vt scribit Cæsar, tertia parte agri Sequani. Proinde minimè reiiciendum videtur, quod plerique Alsetum, vel cum aspiratione Halsetum ducatus Burgundiæ regionem in Mandubiis sitam id nominis retinuisse dicũt, ab Halsatia, siue Holsatia, ex qua bona pars eorum quos Ariouistus in Galliam traduxerat, oriunda erat, & cui Halsatiæ regali præerat potestate ipse Ariouistus: quanquam eruditorum bona pars ab Alexia potius denominationẽ sumpsisse existimat. Hic etiam Cargalos & Harudes ad eam Galliæ Celticæ partem, quam nos Burgundiam vocamus, diuexandam traiecit. Præterea Tribocos natione Germanos relictis penatibus, Rhenóque traiecto, tum in Sequanis, tum in Mediomatricibus sedes aliquando posuisse pluribus ostendit Strabo in sua Geographia. Commigrarunt item & Nemetes, & Vangiones in Galliam: commigrarunt & Vbij atque Sicambri, qui vt se Romanis dederent, fatetur Tyberius ad Germanicum scribens, suo ipsorum consilio potius quàm vi effectũ. Cõmigrarunt præterea Nortmãni: qui maximis copiis Cymbricam peninsulam, seu Cherronesum relinquentes, vltra

Aduatici ex Cymbris prognati.

Multi Gallorum populi ex Germanis orti.

Alseti etymon.

Cargali & Harudes.

Triboci.

Nemetes. Vangiones. Vbij. Sicambri.

Nortmanni.

Sequanam progreßi sunt, & in Armoricis ciuitatibus sedes fixerunt, necnon aliis in locis circumuicinis. Vnde & regio ipsa Nortmannia nomen accepit, ipsíque incolæ Nortmanni dicti sunt, quasi dicas viros Septentrionales. Est enim Nort Germanicè Septentrio, & man, virũ significat. Huiusce gentis pestiferæ nomẽ sub vltimis Caroli cognomento Magni temporibus non sine maximo totius Galliæ metu, auditum est. Quin & maximam Galliæ vastitatem intulere, ac tandem in Neustriæ finibus consedere, Carolo Simplice rege Francorum ad eas neceßitudinis ac fœderis leges perducto, vt filiam Gilloni Nortmannorum Duci Danici generis pacisceretur: tametsi constet Theodebertum Theodorici regis filium Danos iam inde ab initio agros Mediomatricum infestantes deuicisse: quo tamen tempore nomen gentis illius nondum auditum fuerat, nec vlla de ea apud scriptores inualuerat memoria. De huius gentis fatali, ferocique irruptione legitur in præfatione quadam Meldensis Synodi, quæ celebrata est anno Domini octingentesimo quadragesimo quinto, ad hunc modum: Quia diuinas iußiones non est sequuta obedientia, dedit Dominus ab Aquilone (vnde iuxta prophetam, pandetur omne malum) dignos meritis nostris Apostolos, crudeles videlicet, & immanißimos Christianitatis persequutores Nortmannos: qui Parisios vsque venientes, quod iußit Dominus monstrarunt. Docet Eutropius sub Valeriano & Gallieno imperatoribus Alemanos exhaustis Gallijs in Italiam penetrasse. Idem accidit sub Maioriano. Pulsi etiam veteres Britanni ab Anglosaxonibus Armoricas Galliæ ciuitates

Quantã Galliæ vastitatẽ intulerint olim Nortmanni.

Ab Aquilone omne malum.

Ab Alemanis exhausta Gallia.

Veteres Britãni in Galliã penetrauere.

inuasere. Quanta autem vi in eos impressionem fecerint Saxones, indicat quod ad Aëtium ducem in hæc verba scripsere: Aetio viro illustri ac patritio III. Consuli, gemitus Britannorum S. Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc oriuntur duo genera funerum: aut iugulamur, aut mergimur. Sedes item Hunni & Gothi. *Hunni, Gothi, atque alij in Gallia multis locis sortiti sunt præsertim in Belgica apud Auxitanos. Huc etiam pertinet quod Flauius Vopiscus tradit Probi imperatoris* Galliæ à Germanis possessæ. *principatu Gallias à Germanis possessas fuisse. Sed prætcribam quòd plurimis iam annis supra ætatis illius memoriam* Boij in Heduis sedes habuerunt. *Boios ex agro Norico assumptos in Heduorum vrbibus bello Heluetico collocauerat Cæsar. Nec omittẽdum quòd* Franci. *Franci, quibus nobiliores multis seculis nõ habuerat Germania, in Galliam è Chaucis & Saxonibus, vel, vt alij tradunt, ex Pannonia traducti fuêre. Præteribam* Agathyrsi. *etiam quemadmodum Agathyrsi populi Scythiæ (qui & Picti ab auctoribus interdum cognominantur, quòd scribentibus Plinio & Solino, capillis essent cæruleis, & faciem haberent versicolorem, propter mentitum* Pictonũ etymon. *quem sibi inducebãt fucum) seditionibus domesticis è patria pulsi, partim in Britannia consederunt, partímque in Aquitania fertilissima Galliæ regione: vbi ad hunc vsque diem Pictonum & Pictauiorũ nomen retinuerunt. Denique notissimum est quantam Galliæ vastitatem intulerint olim, non tantùm Romani imperatores, verùm etiam exercitus frequẽtissimi effrenato veluti impetu ab Aquilone* Exercitus ab Aquilone prouenientes. *prouenientes, qui multiplici clade sedibus moti, in ea partim amicè, partim hostiliter conquieuerunt, inuo-*

larúntque cùm aliò, tum in Sequanorum Maximam prouinciam, in Heduos, Matiscones, Cabillonenses, Lugdunenses, Lingones, Allobroges, Narbonenses, alióſque id genus populos ſustinendi antea externorũ iugi neſcios, in quibus omnibus maxima ante id temporis extiterat doctrinæ ac literarũ celebritas & exercitatio. Vnde Hieronymus, Innumerabiles, inquit, & fortiſsimæ nationes vniuerſam Galliam vaſtarunt. Et alio quodam loco lupos vocat vagos illos Septentrionales populos. Pacatus quoque ad Theodoſium ſcribens, Lugeo, inquit, Pannonias, Gallorúmque ſpecto excidium. Et paulò pòſt, Vnde igitur exordiar, niſi à tuis Galliæ malis, quæ ex omnibus terris, quas illa peſtis inſederat, haud iniuria tibi vendicas priuilegium miſeriarum? Sed quid neceſſe eſt latiùs diffundi orationem? In infinitum ſermo produceretur, ſi quæcunque de huiuſmodi externorum irruptionibus ſuccurrerent, hoc loco vellem perſequi. Plures ſiquidem ex alienis petitos prouinciis hominum cõuentus in oras Gallicas, tanquam fatali æſtro percitos irruiſſe certum eſt, quàm vt hìc liceat commemorare. A quibus mehercle, linguam à proauis traditam, mores, doctrinam corrumpi, inductáque rerum ferè omnium antiquarum caligine deprauari factu fuit perfacile. Hinc horribiles in Gallia clades conſequutæ, hinc ciuium expulſiones, hinc locorum commutationes & exilia, hinc vrbes non paucæ relictæ direptioni atque incendiis, hinc deſolati agri, hinc optimi quique extorres vrbe, domo, penatibus, hinc exterminatæ bonæ leges, ac diſciplinæ, hinc noua vitæ inſtituta longa conſuetudine firmata, hinc Gallia penè tota ad exitium

& vastitatem toties vocata, hinc etiam (quod magis dolendum) maximæ & graues philosophiæ ac literarum à priscis Gallorum philosophis antea introductarum imminutiones atque interitus. Quid igitur mirum si inter tot ærumnas, tot clades, tot rerum mutationes prisca maiorum nostrorum lingua subsistere omnino nequiuerit? Quid mirum si sermo ipse Gallicus non vnam aut alteram, sed innumeras propè aduentantium hinc & inde populorum dictiones antea prorsus inauditas admiserit? Quod satis indicant qui idioma nostrum paulò exactiùs hodie perpendunt. In eo etenim non paucæ dictiones ab extraneis retentæ obseruantur. Sed & plurimas merè Germanicas sensim illapsas fuisse res ipsa demonstrat. Et hoc in iis populis ad quos frequẽter emigrationes sunt factæ, luce ipsa clarius ab iis qui rem oculatius animaduertunt, cernitur.

Quàm multę dictiones Germanicæ ĩ Gallico sermone receptæ sint.

Nam vt quasdã obiter ob oculos ponamus, ceruisiam appellãt Germani bier, *nos* biere, *solius literæ adiectione: fasciam,* bant, *nos* bande: *obturare,* stopen, *nos* estouper, *quanquam hoc à Græco* στύφειν *ortum videri potest: lacinias* boordem, *nos* bords, *quod & fortasse* ἀπὸ τοῦ βϱόασου *deriuandum fuerit: mortarium* mortier, *quod & nos dicimus: femorale,* broeck *vel* broecke, *nos* braies: *Mullum piscem* barb *vel* barbeel, *nos etiam eodem ferè modo* barb *seu* barbeau *proferimus: portulacam herbam,* porselein, *nos* porseleinne: *pileum,* bonnet, *quod & nostri dicunt: marsupium,* teessche, *nos* tasche: *accipitrem,* speruuer, *nos* espreuier: *scamnum* bank, *quod à nostris itidem effertur: caprum* bok, *quod nostri quoque dicunt: casida* helm, *nos* heaulme: *diuitem,* rich, *nos* riche: *gladium,* dagen,

nos dague:*ſpicarum faſciculũ*,gerben,*nos* gerbe:*vexillum*, banner,*nos* banniere: *cancellos*,tralien,*nos* treillis:*ciuem*, burger, *nos* bourgeois, *quod tamen* ἀπὸ τ̃ πυργ̃ *non ineptè cadere videtur* :*palpare* taſten, *nos* taſter. *Sunt & alia propè infinita cuilibet propius intuenti peruia, quæ nec licet nec libet recenſere. Quòd ſi quis fortaſſe earum rerum curioſus plura noſſe cupiat, multa his ferè ſimilia petere licebit ab Aegidio Tſcudo viro apud Heluetios clariſſimo, in libro de Rhetiæ antiquitate, & tractu Alpinarum gentium. Fertur & Iaſpar Alphæus Syluanus eruditionis non proletariæ vir, quo tempore Lutetiæ Pariſiorum degeret in chartula quadam ducenta propemodum priſcæ linguæ Germanicæ vocabula notaſſe, quæ Pariſienſes etiamnum hoc tempore in mutila ſua lingua retinerent. Tantam nimirum varietatem atque immutationem lingua noſtra paſſa eſt. Neque hæc quidem linguæ mutatio nuper in Gallia facta fuit. Nam ipſo C. Cæſaris tempore multas iam huiuſcemodi voces in Gallorum noſtrorum ſermonem (quem Græcum fuiſſe, & maximè in Celtis, docuimus) irrepſiſſe, cùm ex aliis, tum ex eodem Cæſare probari poteſt: quãdoquidem & ante Cæſaris tempora ſæpius ab externis impetum in Gallias factũ, quẽadmodum paulò antea docuimus, nemo ambigit.* *Ante Cæſaris tempora Gallicus ſermo corrupt⁹.*

Scribit ille Heduos ſummum magiſtratum lingua Gallica Vergobretum nominare. Eſt autem vox illa, vt ex etymo iudicare licet, planè Germanica, ex duabus integris compoſita, quæ hodie Germanis ſummum exequutorẽ ſonat: quod annotarũt Paradinus & Glareanus. *Vergobretus Gallica vox.*

Idem etiam libro tertio de bello Gallico deuotos ho-

Soldurij. *mines à Gallis Soldurios dicit appellari, quorum hæc erat conditio, vt omnibus in vita cõmodis vnà cum his fruerentur, quorum se amicitiæ dedidissent. Hanc tamen vocem pro temporum mutatione aliæ nescio quomodo succrescentes ab vsu recedere coëgerunt, adeò vt eam Gallia* Soldart vnde *non amplius agnoscat, nisi fortè* souldart *(quo nomine militem intelligimus) illinc cadere videri possit.*

Ogmius. *Ogmius maioribus nostris vsitatum fuit vocabulum, quo illi Herculem Celticum vt scribit Lucianus, appellabant. Nobis hodie noua & inaudita planè vox est.*

Huc pertinet quod Plinius curiosus antiquitatis inuestigator libro decimo octauo scribit Gallos inuenisse Plammorate. *vsum aratri cũ rotis, idque lingua ipsorũ nominari Plammorate: vbi tamẽ codices nõnulli plũmarat, alij planarat habent. Quidã etiam in Planetas, vt se prorsus ineptos ostenderent, mutarunt. Quam voculam quòd aliæ postea renatæ sint, ac disseminatæ, eáque paulatim collapsa sit, ne Galli quidẽ hodie agnoscunt. Qui verò inter Germanos veras dictionum origines expiscari nouerunt, hãc ad seipsos trahunt.*

Habebant & Galli nostri veteres quoddam falcati vehiculi genus, quo in prælijs, vt scribit Põponius Mela, vti solebant, idque suo idiomate Couinum, & aurigam Couinus. *ipsum Couinarium appellabant. Iisdem erat & alia vehiculi species, quam lingua iam apud eos recepta vocabãt* Essedum. *essedum, ferúntque illud apud Belgas primò repertum. Ad quod alludit Vergilius tertio Georgicorũ ita scribens,*

Belgica vel molli meliùs feret esseda collo.

Quæ tamen duo vocabula vndénã primùm in Galliam

noſtram irrepſerint, aut quibus populis eorum ſit origo adſcribenda, certi nil habeo. Attamen vt incerto quodam euentu in Gallicum ſermonem penetrarant, ita & incertiori penè exitu ab eo tandem receſſerunt: ſiquidem ea neſcit hodie Gallicæ loquutionis conſuetudo: Latinis tamen adhuc remanſiſſe videntur.

Erat & Gallis noſtris quoddam armaturæ genus, quod Mirmillonium ſeu Mirmillonicum (vtrumque enim in bonis authoribus ſcriptum reperio) dicebatur ab illis. Eo autem dimicaturi ſic vtebantur. Alter ex iis qui in arena depugnabāt, dicebatur Mirmillo, alter Retiarius, à Græcis δικτυοφόρος. *Mirmillo ob Gallicum armorum cultum & habitum, Gallus etiam dicebatur ab externis. Hic in ſummo galeæ cono piſcis effigiem habebat, & in primo congreſſu ſenſim ibat, Retiario hoſte interim ſemper inſequente: qui nec ipſe inermis erat. nam latiſsimo ſcuto protegebatur, & occultatum ſub eo rete geſtabat, quo aduerſariū ſuum opportunitate oblata poſſet inuoluere. Nōnunquam & illud carmen iocoſe vt Feſtus ait occinere audiebatur, Non te peto, piſcem peto, quid me fugis Galle? Quoniam enim Mirmillonicum, genus armaturæ, Gallicum erat, Mirmillones Galli vocitabantur. Tali dimicandi genere vſi ſunt aliquando non tantum maiores noſtri, imò etiam Romani, ac præcipuè Græci. Nam Pittacus Mityllenæus vnus è ſeptem ſapientibus, certantibus olim Athenienſibus & Mitylenæis propter controuerſias finium, dux in bello factus, eam pugnandi methodum cum Phrynone hoſte, qui dux erat Athenienſium, ſeruaſſe dicitur retique occultè ſub ſcuto allato impediuiſſe*

Mirmilloniū Gallorū armaturę gen⁹.

Mirmillo & Retiari⁹ quomodo in pugna ſeſe haberent.

x. iij.

Phrynonem. De huiusmodi certandi ritu obiter mentionem facit Quintilianus libri sexti capite quarto. Nunc, vt omnia quæ sub cælo Lunæ existunt, mutationi sunt obnoxia, nec Mirmillonum vocabulum (nam à solis ferè Latinis retentum videmus) nec tale decertandi genus amplius in Gallia agnoscimus.

Issi Boiorum nomen. *Issi quoque Gallorum nomen aliquando fuit, & præcipuè Boiorum, vt à Textore annotatum est. Quoddam telorum genus significabat non admodum diuersum à framea, quæ Germanorum dictio priùs fuerat, aut Romphæa quæ Thracum, aut Lancea quæ Hispanorum: quod posterius asserit Varro apud Gellium: quanquam Diodorus libro sexto Gallicum fuisse tradit. Quæ omnia, vt & alia pleraque Latinis remanserunt.*

Rheda. *Rhedam Gallicum vocabulum Quintilianus esse docet, eiusdem ferè significationis, cuius est apud recentiores Latinos Carruca. Erat autem maioribus nostris genus leuissimi currus, in quo nobiliores ad villas suas profecturi gestabātur: cuiusmodi sunt hoc tēpore quos Itali sua recentiori lingua* cochos *vocāt. Quod verbū hodie Gallis nostris omnino excidit, & Latinis remansit. Sic enim loquitur M. Tullius ad Atticum: Hanc, inquit, epistolam dictaui sedens in rheda, cùm in castra proficiscerer. Remansisse videtur & Græcis, qui* ῥέδιον *efferunt in eadē significatione.*

Petoritum. *Vtebantur & Galli, maximéque Belgæ alio quodam vehiculi genere, quod sua lingua Petoritum appellabant. Eo rus gestari solebant nobiliores matronæ. Non omnino idem erat cum Pilento (erat autem pilentum alia vehiculi species, Hispanicæ gentis inuentum) sed tamen illi non*

admodum dissimile: de quo sic Flaccus,

Esseda festinant, pilenta, petorita, naues.

Varro in libro de lingua Latina in consuetudinem sua ætate primùm venisse scripsit. Erat eiusdem quasi formæ, qua nostri temporis principum mulieres vectantur, ita libratũ vt considentes in puluinis, in aëre suspensæ agitari viderentur. Propterea haud scio an rectè à verbo πετάω, quod est eleuo, deduci videri possit. His omnibus dictionibus olim quidem Gallicis, nunc verò aut in Latina, aut Græca, aut Germanica, aut certè in nulla interdum lingua receptis facilè agnosci potest varia ipsius Gallici sermonis immutatio atque corruptio.

Porrò quando eò recidimus vt solertius priscas Gallorum voces inuestigemus, alias adducere nihil pigebit, cùm istuc à nostra Celtopædia minimè sit alienũ. Tradit Dioscorides libri primi capite septuagesimo septimo è Gallia subalpina conuehi solere speciem quandam resinæ, quam vernaculo nomine laricem appellent incolæ. Quam vocem etsi à Latinis, vt videmus, semper asseruatam, iámque à multis temporibus Latinam omnino factam hodie Gallia nescit, nec amplius vt suam agnoscit. *Larix, vox Gallica.*

Huc pertinet & Saliunca. Scribit enim eodem in libro Dioscorides Celticam Nardum in Liguriæ Alpibus nasci, ibidémque patrio nomine, hoc est Gallico Saliuncam appellari. Solis & hæc ipsa vox Latinis hodie remansit. *Saliunca.*

Dunum veteribus Gallis admodũ frequens dictio fuit, quemadmodum ex nonnullis antiquissimarum Galliæ ciuitatum appellationibus dignosci potest: vt sunt Vxellodunum, Mellodunum, Augustodunum, Neodunũ, Vella- *Dunum.*

naudunum, Neuidunum, Lugdunum, Viredunum, Nouiodunum, & similia. Est & Camelodunum in Anglia. Eò etiam referenda est vox, Gorduni. hi sunt Belgarum populi Centronibus & Pleumosiis finitimi. Quidnam autem vox illa, Dunum, propriè significauerit, certi nihil video constare. Nam Chassanei interpretationem, qui eam cadere existimauit à verbo δύνω, *quod sæpe apud Homerum pro induo legitur, rident, planéque reiiciunt eruditiores. Sunt qui eam ad nemora credant esse referendã, verámque eius etymologiam ex Anglica lingua petendam censeant: alij ex Italica, aut certè Hispanica, qui vocibus* Don & Donno, *pro domino vtuntur.*

Durum. *Quidnam etiam hoc nomine, Durum, nostris designaretur, vix habeo quid pronuntiem. Compertum est tamen ex multis vrbium appellationibus familiare illis admodum fuisse. Nam & Denodurum (quod Theonis villam nõnulli esse crediderunt) & Marcodurum, & Batauodurum, & Gannodurum, aliáque id genus non pauca à veteribus Topographis sæpe commemorata videmus.*

Arepennis. *Erat apud Gallos mensura dimidij iugeri, qua illi suos agros metiri solebant: eáque Arepennis ab eis dicebatur. Author est Columella libro quinto. Non omnino nostris excidisse videtur. Siquidem pro vocabulo Arepenni,* arpan *adhuc retentum apparet.*

Candetum. *Quid sit Candetũ Gallica loquendi consuetudo prorsus ignorat. Attamen à maioribus nostris vsurpabatur pro spatio centũ pedum, quod in areis vrbanis erat. Quod & Columela libri quinti capite primo his verbis testatur: Galli, inquit, Candetum appellant in areis vrbanis spatiũ centum pedum: in agrestibus autem pedum centum &*

quinquaginta: quod aratores Candetum nominant; semiiugerum quoque Arepennem vocant.

Emarcum eodem authore libri tertij capite secundo, quædam vuæ species erat à Gallis sic appellatæ. Hodie prorsus ab vsu nostro recessit. Emarcum.

Caterua propriè Gallorum erat legio, sicut Phalanx Macedonum. Ea authore Vegetio senis militum millibus cōstabat: postea Latini pro quauis multitudine vsurparūt. Caterua.

Taranis à veteribus Gallis dicebatur Iupiter ille cui humano sanguine litabant. Hinc Lucanus, Taranis.

» *Et Taranis Scythiæ non mitior ara Dianæ.*

Brance ad Priscam nostrorū linguam pertinet: quemadmodum ostendit Plinius libri decimi octaui capite septimo: Galliæ, inquiens, suum genus farris dedère, quod illic Brance vocāt, apud nos sandalum, nitidissimi grani. Ruellius author est etiam hodie Gallis vnius literæ immutatione blance *appellari.* Brance.

Gallicum nomen fuit Arinca, quo eodem authore significabatur frumenti genus, quod Latini siligine͂, Græci ὄλυραν *vocant: quanquam* ὄλυραν *Valla nunc auenam, nunc far soleat interpretari.* Arinca.

Bardocucullum, etsi Gallorum fuisse omnes fatentur, fortasse à Bardis philosophis (de quibus antea) introductum, quidnam tamen illis propriè significauerit non satis constat. Sunt enim qui dicant tegmen fuisse capitis villosum, cuius vsus translatus sit ab ipsis Bardis. Existimāt alij genus vestis fuisse omni tempore accommodæ, cum qua etiam cubare soliti erant imbrium tempore in castris milites, & in agris rustici. Bardocucull.

Marga. *Fuit & Marga Celtis nostris vsitatissimum nomen. Scribit enim Plinius libro decimo septimo eo Gallis terræ adipem significari. Erat genus terræ in modũ cretæ albæ, qua rustici vtebantur ad stercorandos agros. Iam Latina vox effecta est, & à Celtismo planè recessit: nisi quòd Bassinios, aliósque aliquot Lingonum populos in hodiernum diem* Marle *prope ad verbum proferre audio in hac ipsa significatione. Sunt etiam qui* Marne *pronuntient.*

Beco. *Præterea Tranquillus in Vitellio docet* Beco *dictionem esse Gallicã, & Tholossanã, eáque Galli Gallinacei rostrũ significari: quod & multis in locis agnoscũt Galli.*

Caracalla. *Idem etiam quoddã vestis genus à Gallis Caracallam vocitari author est: à quo nostri hactenus retinuisse videntur* Caraque, *pro quadam tunica. Sed olim vestimentum erat ad talos vsque demissum.*

Addit vnam legionem ex iis quæ in transalpina Gallia à Cæsare Dictatore conscriptæ fuerãt, vocabulo Gallico Alauda. *Alaudam appellatam: quam disciplina, cultúque Romano probè institutam & ornatam, postea vniuersam ciuitate donarunt. Id ipsum Plinius apertissimè cõfirmat libro vndecimo, Præterea, inquiens, Parræ, quæ ab illo Gallerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alauda.*

Galba, Gallica vox. *In Gálba quoque asserit Tranquillus Galbam lingua Gallica sonare præpinguem: quæ etiam vox paulatim Gallis excidit, & penes suos Germanos, vnde prius fluxisse videbatur, remansit, qui in hac ipsa significatione mutatis quibusdam literis quasi per iocum dicunt,* kalue: *quod de vitulo bene saginato propriè apud eos dicitur.*

Hoc vnum addam quòd Polybius populos qui mercede conducti in militiam proficiscerentur, Gallico vocabulo Gessatas scribit appellari: quod tamen iampridem ab vsu nostro recessisse perspectissimum est, idque in Germanis solis, à quibus profectum fuerat, remansisse: qui hodie populari sua lingua Gesset *seruos mercenarios vocãt, qui scilicet antè quàm operis quidpiam exequantur, primùm cum heris de mercede conueniunt.* *Gessatæ.*

Bodincum, Padũ Gallica lingua à Liguribus dictum asserit Plinius libro quarto, quòd significet fundo carentem: & Bodincomagũ oppidum eodem tractu esse. Quod verbũ Heluetiorũ sermoni tribuendum putat Glareanus. *Bodincus.*

Fuêre quàm plurimi, atque hi sanè non vulgariter eruditi, qui sermonem illum quo Germani hodie vtuntur, & illi præcipuè qui non procul à Rheno habitant, Galliæ non secus ac Germaniæ familiarem atque vsitatum olim fuisse crediderunt: existimarúntque eundem omnino fuisse cum eo, qui nunc auditur apud Heluetios. Atque id cùm aliis aliquot rationibus, tum hac potißimum confirmant, quòd nonnullæ adhuc voces penitus Germanicæ alicubi in Gallia (quod paulò antè docuimus) remansisse conspiciantur, quódque nonnullæ dictiones ex iis quas plerique authores Gallicas olim fuisse memorant, suam in Germanica lingua habeant interpretationem: quasi verò infinitæ aliæ non sint (nam & ex illis quasdam hìc obiter recensuimus) quarum originem ac etymon non modò ex Germanica lingua petere non possumus, sed ne ex vlla quidem alia. Non inficiamur Burgundiones ipsos aliquando Germanicè (tametsi ea patria lingua nõ esset)

Falsum esse quod existimarint nonnulli priscam Galloru linguã Germanicam fuisse.

Germanicã linguã Burgundionibus aliquãdo familiarem fuisse.

y. ij.

ſatis expeditè loquutos. Quod certè indicat Sidonius in epiſtola quadam ad Syagrium Conſulis pronepotē, quem Burgundionum Solonem appellat, & nouum Amphionem in temperandis trichordibus cytharis propter trium linguarum peritiam, Latinæ videlicet, Germanicæ, & prouincialis Celticæ. Sidonij ipſius epiſtola haud inelegans petenda eſt ex Gulielmi Paradini libello, qui de antiquo ſtatu Burgundiæ inſcribitur. Verùm quod hìc de Germanica lingua Burgundionibus vſitatiſsima dicitur, de aliis reliquis Galliæ partibus intelligi non poſſe notius eſt, quàm vt vllis rationibus aut argumentis probandum veniat. Si quis tamen paucis noſſe cupiat eandem Gallis & Germanis linguam olim minimè fuiſſe, & præterea Heluetios, Rauracos, Sequanos Rheno proximos, Briſgoënſes & Helſaticos ſeu Holſaticos linguam verè Celticam non modò non habere, ſed ne habuiſſe quidem (tametſi Glareano aliter viſum ſit) nullo alio certiori teſtimonio quàm Cæſaris oſtendi poteſt: qui libro primo Commentariorum de bello Gallico apertè indicat Ariouiſtum Germanorum regem, & eum quidem Helſaticum (nam & Helſatiæ regali præerat poteſtate, & ex Helſatia bonam ſui exercitus partem in Galliam Celticam introduxerat) qui in Sequanos irruerat, lōga quadam conſuetudine Gallicam linguam didiciſſe, eadémque vti ſolitum. Quod profectò ridiculè admodum & ineptè à Cæſare ſcriptum videretur, ſi eadem vtrique populo communis

Germanos linguam nō habere Celticā.

Ariouiſtus Gallicum ſermonem didicerat.

» *lingua fuiſſet. Cæſaris verba ſunt: Commodiſsimum viſum eſt M. Valerium Procillum C. Valerij Caburij filium, ſumma virtute & humanitate adoleſcentem (cuius*

,, pater à C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat) & pro-
,, pter fidem, & propter linguæ Gallicæ scientiam, qua
,, multa iam Ariouistus longinqua consuetudine vtebatur,
,, & quòd in eo peccandi Germanis causa non esset, ad eum
,, mittere: & vna M. Titium, qui hospitio Ariouisti vsus
erat. Ex his satis, opinor, intelligi potest falsum esse quod nonnulli ex paucis quibusdam Germanorum dictionibus in Gallia remāsis maiores nostros Celtas aliquando Germanicè loquutos colligunt: aut certè Helsaticis, aliísque id genus Germaniæ populis Celticam linguā propriā fuisse autumant. Nec audiendi rursus alij, in quorum cœtu nōnullos eruditionis nomine ac opinione celebres esse video, qui eodem argumēto Heluetios atque alios aliquot Germaniæ populos antiquam Galliæ & libertatem, & maiestatem, & linguā priscam Celtarum obtinere crediderūt.

Quàm multæ verò sunt aliæ in idiomate nostro dictiones, quarum nulla omnino ratio adferri, nulla excogitari origo potest. Quàm multis etiam aliis Galli nostri quondam vsi sunt, quarum ortum & prima veluti cunabula si requirere velimus, nihilo plus consequemur, quàm si aërem verberando bonas diei horas conteramus. Huiusmodi sunt illæ quæ passim à Discoride & Apuleio Platonico commemorantur, veteribus alioqui Gallis (vt ijdem asserunt) vsitatissimæ: vt Suibites, sic enim hederā maiores nostri appellabant: vt Sapana, sic anagalin: vt Iupicellus, sic iuniperum: vt Theximon, sic chamæmelon, seu mâlum terræ, quod ab alijs Δαρδάνιον dicitur: vt Aluola, sic pulegium, quod Græci γλήχωνα vocant: vt Sistrameor, sic fœniculum erraticum seu hippomarathrum: vt Pona,

Plurima herbarum nomina prisca, eáque Gallica.
Suibites.
Sapana.
Iupicellus.
Theximon.
Aluola.
Sistrameor.
Pona.

sic quandam artemisiæ speciem, quæ Romanis Valentia,
Piperapium. *aut serpyllum, aut herba regia dicitur: vt Piperapium, sic herbam Veneream, quam adhuc nostri propè ad verbum*
Bilinuntia. *vocant* piperache: *vt Bilinuntia, sic apollinarē, seu hyo-*
Scobilus. *scyamum: vt Scobilus, sic hortense solanum, hodie à no-*
Beliocanda. *stris* morelle: *vt Beliocanda, sic myriophyllum, quæ &*
Vsibis. *Achillea ab Achille primo repertore dicta est: vt Vsibis, sic chamædaphnen seu hydragogon, hodie* du liseron:
Laginum. *vt Laginum, sic helleborum album: vt Scobies, sic sam-*
Scobies. Ducone *bucum: vt Ducone, sic ebulum, aut Chamæacten: vt*
Carbidolupō *Carbidolupon, sic plantaginem maiorem, quam alij ar-*
Betilole. *noglosson, alij cynoglossam vocant: vt Betilole, sic proso-*
Limeum. *pin, quam vocant hodie* du gleteron. *vt Limeum, sic herbam olim in multo apud eos vsu, qua sagittas inficiebāt venatores, vnde & à nonnullis venenū ceruarium appellatum: author est Plinius libri vicesimi septimi capite vn-*
Sil. *decimo: vt Sil, sic propriè limum quendam, quem pigmēti genus esse aiunt, magnam cum ochra similitudinem habens. author idem Plinus libro tricesimo quarto. Hinc Ausonij poëtæ carmen in Monosyllab.*

" *Sitne peregrini vox nominis, aut Latij Sil?*

Latini noua voce, sed nescio an satis propria illud pigmenti genus, Lucidum postea nuncuparunt. Habuerunt & Galli veteres herbam quandam miræ efficaciæ, quam
Rhodora. *authore Plinio Rhodoram vocabāt. Et idē libro decimo se-*
" *ptimo terrarū genera quædam describens, Columbinam,*
Eglecopala. " *inquit, Gallia suo nomine Eglecopalam appellat, quæ gle-*
" *bis excitatur lapidum modo: sole & gelatione ita solui-*
" *tur, vt tenuissimas bracteas faciat. Itémque libro vice-*

» *simo septimo, Halus autem, inquit, quam Galli sic vocãt,* Halus.
» *Veneti cotoneam, medetur lateri. Quin & Vettonicam,* Vettonica.
quæ ab Italis serratula dicitur, à Græcis cestron aut psichotrophon, Gallorum nomen fuisse idem libro vicesimo quinto asserit. Et libro decimo septimo Betullam mirabi- Betulla.
lis candoris atque tenuitatis arborem, quam Romani ex Gallia in Italiam transtulerunt, nostris attribuit. Rursus libro octauo, in Magni Pompeij ludis ostensum fuisse Chaum dicit, quem Galli Raphium vocabant, effigie lupi Raphius ani-
& pardorum maculis. Equidem has omnes aliásque mul- mal.
tas dictiones nostris omnino excidisse videmus. Cæterùm cùm tot herbarum, tótque pharmacorum genera veteribus Gallis in vsu fuisse testentur authores, non abs re fuerit hinc elicere illos (quod de Druidibus anteà dicebamus) Veteres Gal-
summos fuisse medicos. Sanè Plinius sexcentis penè locis los summos
eorum medicamenta & curandi rationes non ueretur ad- fuisse medi-
cos.
ducere: vt cùm libro vicesimo quinto loquitur de admirabili quodam succo, qui fiebat in Gallia ex herba cameleagrano: & alibi Gallos sagittas in venatu helleboro tingere solitos dicit, circuncisoque vulnere teneriorẽ sentiri carnem. Depingit & locis pluribus nardum Gallicã, & absinthium Gallicum, & seseli, quod Massiliense vocat, & betullam, & abietem, quæ nascitur in montibus Iura & Vogeso, & buxum Gallicum, & rhodoram, & agaricum, quod Galliarum arbores glandiferæ producũt, & quo frequentissimè in antidotis maiores nostri vtebãtur. Eodem authore spagnos herba, quæ & spacos, & Spagnos.
bryon dicitur, nascitur in Gallia, quemadmodum & de hyacintho alibi testatur. Et libro vicesimo septimo de

Virtute hierabotanes mira Gallos quondam effecisse. hierabotane loquẽs, asserit Gallos illius herbæ virtute præcinere responsa, eorúmque magos circa hanc insanire, eadem perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi, colligi circa canis ortum, ita vt ne Luna aut Sol aspiciat. Sed planè ineptus videar, si ea omnia persequi velim, quæ iustum requirerent volumen. Isthæc ni fallor, satis ostendunt medicinam, ac vires herbarum maioribus nostris innotuisse. Porrò ut ad priscas illas Gallorum dictiones redeamus, quis quæso tam argutus, qui earundem notationes satis aptè possit excogitare, aut veras origines inuenire? Atque hæc profectò omnia, aliáque non pauca, quæ breuitatis causa hoc loco prætereunda ducimus, satis, mea quidẽ sententia, declarant priscam Gallorum linguam (quod superius dicebamus) multis iam seculis elapsis corrumpi cœptam: nec Germanicæ tantum linguæ: sed multarum quoque aliarũ euidentissima vestigia in iis permansisse locis ac regionibus, ad quas externorũ factæ fuerant emigrationes. Quid autem & hîc infinitas propemodum dictiones merè Romanas, per totam Galliam disseminatas longa narratione commemorem? Cuiusmodi sunt terra, frumentum, honor, imago, rastrum, fornax, homo, tempus, scientia: itémq; respondere, diuinare, dormire, ridere, ordiri, demonstrare, venire, aliáque id genus sexcenta, quæ vel sola finali terminatione variata, vel paucis quibusdam immutatis literis, in nostro, vt videre est, remanserunt idiotismo. de quibus tantummodo in transitu meminisse satis est. Nam nemo est, nisi omnino illiteratus fuerit, qui non facilè animaduertat, vix quatuor verborum orationem nos efferre

Infinitas Romanorum dictiones Gallico sermoni admixtas.

posse, in qua aliquid ex Romanismo non sit admixtum. O mira Romanorum industria. Illi, vt sibi nominis immortalitatem memoriámque apud omnes sempiternam conciliarent, nihil sibi reliquum fecerunt quò linguam suam in omnibus quæ ipsorum ditioni parebant prouinciis, vt author est Valerius Maximus, diuulgarent, & quoad fieri posset, latißimè propagarent. Eam verò si qui primùm Romana authoritate contempta recusarent, tandem proposita & statuta in contumaces pœna, mutato iam principatu recipere cogebantur vel inuiti. Atque hanc vnam ob causam instituta fuerãt multis in locis gymnasia, quæ Latini sermonis notitiam singulis impertirent populis. Quod apud nos diutißimè factitatum fuisse in aperto est. Ex omnibus autem exemplis vnum illud, quod alioqui notißimum est, de celeberrima aræ Lugdunensis academia tantopere decantatum, nunc in medium proferatur. Ibi etenim maximo totius Galliæ, atque adeò Italiæ concursu memorabile Poëseos, Philosophiæ, atque Eloquentiæ certamen conspiciebatur, eóque agminatim conueniebant ex vniuerso propemodum orbe semel quotannis Philosophi, Oratores, Poëtæ, aliiq; exercitatißimi palæstræ literariæ milites in arenam Palladiam descensuri, ibidémque aliquod suæ eruditionis specimen eximio quodam certamine edituri. Erat autem primùm certamen Græcæ facundiæ, posteáque non Græcæ tantùm, sed multò magis etiam Latinæ, quanquam vtrámque semper illic in precio fuisse compertum est, & maximè quo tempore Cæsareæ dignitatis sceptra tenebat C. Caligula, quem huiusmodi literario

Linguam Romanã recipere cogebãtur externi.

Celeberrima Lugdunensis aræ academia.

Certamẽ Grecæ, Latineq́; facundiæ Lugduni.

congressu nihil antiquius habuisse memorant. Illis conflictibus ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes non sine magno sui dedecore scriptis committere impulsos. Eos autem qui maximè displicuissent, quíve non satis animosè sese gerentes turpiter arena cessissent, palinodiam recãtare coactos, & siquid fortè scripsissent, scripta sua spongia, linguáve delere iussos, nisi alioqui verberibus acriter cædi, aut flumine proximo mergi maluissent. De iis nonnulla attigit Suetonius in Caligula. Huc spectasse videtur Iuuenalis, quum de Rhetore loquens ad aram Lugdunensem dicturo sic ait,

Quibus supplicii afficiebãtur qui se ad arã Lugdunẽsem vici permittebãt.

» *Palleat vt nudis pressit qui calcibus anguem,*
» *Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.*

Huiusmodi, inquam, academiam, quæ habebatur veluti celebre ac memorabile quoddam literarũ emporium, & vbi Græcè (nondum deperdita in eis literatura) Galli nostri philosophabantur, vbi etiam gratiis ac Musis tanquã sacra facientes toto pectore in arcanis disciplinis studiosi homines versabantur, literis Latinis postea infarciri voluerunt Cæsares, (nam & aram Cæsaris posteritas appellauit) ídque abolita quodammodo priori illa methodo, quam si non Lugduni, saltem in aliis plurimis Galliæ locis ac vrbibus veteres Gallos sequutos fuisse constat, & quæ nihil nisi Græcum sonabat. Hinc itaque paulatim effectum est, vt omnis Gallia priscorũ lingua amissa Latinam acceperit, quam ad hanc ætatis nostræ memoriam relictis manifestis vocum vestigiis seruauit. Talis omnino mutatio in Massiliano quoque gymnasio facta est: quod iam ante annos quàm plurimos Græcarum literarum ce-

Massilianum gymnasium.

lebritate, atque omni studiorum genere ita effloruerat, vt vel ante C. Iulium Cæsarem eò Romani adolescentes melioribus literis, ac moribus imbuendi non aliter quàm Athenas mitterentur, aliique externi pro Attica peregrinatione Maßilioticam petere academiam ad disciplinas capessendas nõ dubitarent.

Ad Maßiliã nũ gymnasiũ disciplinæ causa mittebãtur adolescẽtes Romani

Cuius rei testes mihi hoc loco Tacitum & Strabonem aduocarem, nisi ipse Cicero vt grauißimi, ita & amplißimi loco testimonij in oratione pro L. Flacco nobis esse videretur. Quòd autem nostri omni ferè Græcitate, vt sic dicã, remissa, Latinè deinceps discere ac doceri cœperint, præter alia argumenta colligere licet, vel ex ipsis scholis Prouincialibus, quæ non modo Lugduni, sed etiam apud Vesontinos, Heduos, ac Lingones, posteáque & alibi instauratæ perhibentur.

Scholæ prouinciales.

Enimuero vt sibi obsequentiores redderent subactos vndique populos Romani, Romanè illos loqui, Romanísque vti literis voluerunt. Nec solummodo vt iura vbique Latinè redderentur sanxerunt, verùm etiam effecêre vt omnes artes atque disciplinæ eadem lingua nostris traderentur, mißis ad id negotij Rhetoribus ac professoribus, qui hîc atque illic ludos in prouinciis aperirẽt.

Subditos sibi populos Latinè loqui cogebant Romani.

Horũ vnus fuit Latinus Pacatus, cuius extat elegans ad Constantinũ Panegyris.

Latinus Pacatus.

Inter eos etiam constat Lactantium Firmianum virum facundißimum haud vulgarem in propalandis literis Latinis operã in Celtis insumpsisse: necnon ab illo ipso Crispum Cæsarem Constantini Augusti filiũ in Gallia fuisse institutum. Galliã verò illis tẽporibus maximos in eloquentia Latina progressus fecisse satis indicat Ausonius in Mosella Belgicæ primæ fluuio, cùm ait,

„ *Aemula te Latiæ decorat facundia linguæ.*

Hæc omnia eò pertinent vt ante oculos ponamus cauſas quibus priſca Gallorum linguæ mutatio tribuenda ſit, intelligatúrque Romanos ad ſuam ipſorum gloriam nihil nõ ſemper retuliſſe,& ex alieno corio latiſſima, quod aiunt,lora confeciſſe. Quin etiam illi (quod mirandum eſt)omnium populorũ legatos ad ſe venientes lingua Romana iniũctam ſibi legationem obire,aut certè re infecta obmuteſcere volebant, cum tamen ipſimet legationis munus apud exteras nationes gerentes , nunquam ad illarum idiomata ſe compelli ſuſtinuerint , ſed in ſua ſemper lingua ſeſe continentes, eam in dies, quantùm fieri poterat, augendam curabant , ac locupletandam. Ex quo effectum eſt, vt nulla ſit in toto orbe regio ex iis quæ olim Romano paruerunt imperio,cuius linguæ aliquid ex Romaniſmo admixtum non perſpiciatur. Hoc nouerunt Hiſpani, hoc Germani(quanquam illi pauciores Romanorum voces retinuerunt) hoc Galli, hoc reliqui omnes. Quare mirandum non eſt ſi progredientibus ſeculis tantam ſermonis varietatem atque mutationem obſeruemus. Nam id non magis accidit Galliæ quàm Romæ, quàm Græciæ,quàm populis reliquis.Quot enim Perſicas, quot Bœoticas, quot Arameas,quot Dryopicas,quot Syrias, quot alias denique præter illas, quæ ad quinque dialectos pertinent , dictiones in ſuam inferri regionem paſſa eſt Græcia? Romanis verò ipſis varias , longéque diſſimiles fuiſſe linguas cognitum eſt. Primùm enim, vt eſt apud Cælium,illis lingua Priſca inerat,qua vetuſtiſſimi Italiæ populi ſub Iano & Saturno vſi ſunt.Eáque adeò ab vſu

Prima Italorum lingua, quæ Priſca dicta eſt.

recessit, vt si hodie viribus resumptis in auras prodiret, à nemine prorsus nec agnosceretur, nec intelligeretur. Quod ex libris quibusdam Sibyllinis eiusmodi lingua conscriptis quæ ad nostra vsque tempora penetrarunt, & quorũ voces innumeras cognitio nostra non capit, possumus iudicare. Eadem lingua descripta fuerunt carmina quæ nominantur Saliaria, ex quibus paucula quædam hac tempestate alicubi superesse cernuntur velut reliquiæ, quæ multo obscuritatis nubilo circumuoluta desitis iam vocabulis, proindéque intellectum facilè non admittentibus à nemine pernoscuntur. Hanc subsequuta est altera, quæ Latina dignosci potest, & qua sub Latino, cæterísque Thusciæ regibus vtebantur, quáque leges duodecim tabularum scriptæ fuerunt, in quibus pleráque obsoleta, & à Romani sermonis nitore alienissima vocabula conspiciuntur. Tertia quòd & cultior visa sit, & purior, Romana propriè dici meruit. Hæc paulò post reges exactos à populo Romano coli cœpta est, ac paulatim in artem traditis quibusdam præceptis reducta, ideóque in dies politior effecta & ornatior. Hac primũ Næuius, Plautus, Ennius, Accius, Pacuuius, hac ante alios ferè omnes qui Romæ literis claruisse dicuntur, Statius Cæcilius natione Gallus, hac Vergilius omnium aliorum elegantissimus, hac item inter Oratores Gracchus, Sulpitius, Cato, Lentulus, Antonius, Hortensius, Cælius, Domitius, maximéque Cicero & Cæsar plurimùm valuerunt. Quorum quidem hominum eruditorum atque etiam facundissimorum ætas haudquaquam amplius innumeras dictiones nimium alioqui duras ac rudes ferre potuit. Maluerunt enim pro scloco (quod Pon-

Secunda Italorũ lingua.

Tertia.

Multæ dictiones exoletæ.

tanus obiter annotauit in libro de aspiratione) locum dicere, pro remulibus lemures, pro fordeo hordeũ, pro Belena Helenam, pro Messana Messalã, pro Valesio Valeriũ, pro Fusio Furium, pro Cassantra Caßandram, pro Homone Hominẽ: Sic enim loquutus est prisco illo tempore Ennius,

Vulturis in syluis miserum mandebat homonem.

Vbi homonem pro hominem, & vulturis pro nominatiuo vultur vsurpauit. Itémque ex eo quod erat Odysseus, Vlyssem fecerunt: ex lebero, liberum: ex here heri: ex sibe sibi: ex coërauit, curauit: ex voloce, velocem: ex accusandi casu mee, me: ex aïjo, in quo geminabatur litera, i, aio: ex comperce, cõpesce: ex creduis, credas: ex duint, dent: ex sangue, sanguinem: atque ita de aliis propemodum infinitis. Literam quoque, s, pro, r, antiquorum more vsurpare desierunt, qui, vt scribit Festus, ante illud seculum scribere solebant maiosibus, meliosibus, lasibus, fesiis (quod adhuc in ipsa vulgari prolatione Parisiis peculiarißimum esse videmus) pro maioribus, melioribus, laribus, feriis. Exciderunt etiam casus recti vapos & clamos, qui paulò antè in vsu fuerant. Excidit præteritum occisi pro occidi: ita enim scriptum reperitur in legibus duodecim tabularũ, im si quis occiserit, pro eo quod postea dicere cœperunt, eum si quis occiderit. Exciderunt & taxim pro sensim, & murgiso pro inerti ac desidioso, & corgo pro equidem, & scindidi pro scidi, & vls pro vltra, & titiuilitium pro re nihili ac vili, & facul atque dificul, pro facile atque difficile, & vibrissare pro eo quod dicitur, vocem in cantando crispare, & differitas pro differentia, & deruncinare pro dißipare, & futauit pro sæpius fuit, quo

Commemorãtur hic nonnulla priscorũ Latinorũ vocabula, quę penitus exciderunt.

verbo vsus est Cato, & præbia pro remediis, & vehia pro via, & vehiatura pro vectura, & tertus pro deterso, & tagax pro fure, & obuarare pro deprauare, & dubenus pro domino, qua voce vsus est Pacuuius, & mœstiter pro mœstè, & casmar pro sene, & descobinatus (quod apud Varronem legitur) pro saucio, & redostire pro retribuere, & relicinus pro crispo, & catax pro claudo, & fulguritassunt (quo vsus est Plautus) pro eo quod est fulgure percutiuntur, & nequinunt pro nequeunt (erat enim antiquis verbum nequino) & mauolo pro malo, & miseritudo (quam vocē vsurpauit Accius in Alphesibœâ) pro miseria, & quippini pro cur non, & fuo (à quo retennū est præteritū fui) p sum, & erciscere pro diuidere, quo tamen semel vsus est Cicero ad priscæ linguæ imitationem, & alia id genus multa, quæ satis diligenter Festus ac Nonius annotarunt. Fruniscor pro fruor Lucilius & Cato posuerunt: hinc frunitum pro prudenti sæpe dicebant, quemadmodum & infrunitum, cuius tamen vocis significatio mihi subobscura videretur, nisi ea insipientem ac stolidum significari me doceret Hermolaus. Dicebant & antiqui pro auellana abellinam, authore Plinio: & verpam pro membro virili: hinc & verpus illis dicebatur cui mentula erat præputio nudata: quæ quidem vox & apud Iuuenalem reperitur. Trama & trulla, quæ priscorum Latinorum vocabula erant, in Gallico sermone remanserūt. Pro vocibus apecs & grecs, hodie apex & grex dicitur. Et Purrū semper Ennius dixit (authore Cicerone) nunquam pyrrhum, Fruges & non Phryges, Frugiani non Phrygiam: quemadmodum & Medentius nō

autem Mezentius, & Sacunthus non Zacynthus. Sed hæc tantùm apud antiquißimos reperiuntur, qui peregrinas nullas literas admittebant. Atque hæc quidem de priscis Romanorũ vocibus obiter dicta sint. Omitto enim plerásque nuper introductas, omninóque inusitatas, & asino Apuleij longè conuenientiores, qui rudere interdum maluit quàm loqui: vt sunt inuinius pro abstemio, moramen pro mora, descapedinare pro reserare & aperire, & similia. Illis, inquam, omnibus vocabulis planè reiectis, & abolita pedetentim veteri illa barbarie, mirus linguæ Latinæ concentus postea audiri cœptus est. Cuius & dux & princeps omnium ferè consensu habitus est ipse Cicero, vir omnino quod ad dicendi suauitatem spectat, diuinus. Etenim Liuium Andronicum, Statium Cæcilium natione Gallum, Appium Cæcum, Cornelium Cethegũ, Ennium, Næuium, Plautũ, Pacuuiũ, Actium, C. Lælium, P. Scipionem, Gracchos fratres, licet omnes iam satis quidem disertos, ante perfectum illud linguæ Latinæ tempus omnia antiquè, plurima durè loquutos memoriæ proditum est: quorum asperiorem & horridiorem sermonem, verbáque tritis eruditorum auribus, & ipsi iam eruditæ Romæ intolerabilia elimauit posterior ætas durámque & ieiunam sermonis formam sustulit, atque velut vnctiorem quandam, & splendidiorem loquendi cõsuetudinem induxit. Quartam autem Italorum linguam (nam de tribus iam dictum est) appellarunt Mixtã. Hæc sanè post imperij collabentis sortem miserrimam vnà cum moribus & hominibus hinc atque inde collectis in Romanam ciuitatem irrumpens, tersæ orationis nitorem solæ-

Asinus Apuleij.

Quarta Italorũ lingua quæ Mixta dicitur à Cælio.

cismis ac barbarismis fœdißimè corrupit. Atque eò vsque progressa est linguæ illius adulterata cõditio, & ad tantã latè occupantibus omnia externis deducta corruptelam, vt hodie noua planè cõspiciatur, nec ipsi, si reuiuisceret, Ciceroni, aut Vergilio ampliùs esset cognita. Et potest iure optimo pãnosæ vesti ex multis, diuersiq; generis assumẽtis reconcinnatæ cõferri, quod & Gothorũ plurimas habeat admixtas dictiones, & Hunnorum, & Longobardorum, & Gallorum, & Oscorum (quod suo iam tempore Fabius Quintilianus mirabatur) atque Sabinorum. Adde quòd & multas ex sermone Prouincialis Celticæ hausit, totámque ferè suam infantiam habuit, quemadmodum Dantes, alíique peritißimi & antiquiores rhythmorum Italicorum scriptores relictis posteritati libris testati sunt. **Lingua Gallica, quæ hodie in vsu est, ex Prouinciali idiomate suam habuisse originem credita.** *Si quis singula cuiusque populi idiomata exactiùs trutinet, haud dubium quin eandem, aut certè aliquantò maiorem in iis, qui externarũ emigrationũ incommoda paßi sunt, factam mutationem comperiat. Non enim soli aliorum externorum dictiones recepimus. Nec gloriari debent Germani quasi veterẽ suam linguam (vt existimarunt nonnulli) semper retinuerint. Certum est enim Gallos nostros in Germaniam sæpius penetrasse, eius possessores fuisse, denique & Gallicum sermonem ibidem propagasse. Quod certè de Gotthiniis Germanorũ populis ingenuè fatetur Georgius Agricola, vir alioqui Germanus, in libello De veteribus & nouis metallis, cùm ita scribit:* **Lingua Gallica in media Germania quondã propagata.**

» Etsi verò perpauca de magnæ Germaniæ metallis Græci » & Latini scriptores prodiderunt, tamen illa vetera non » omittam, præsertim cùm decreuerim noua diligenter ex-

,, *plicare. Itaque de ferri metallis Ptolemaus & Cornelius*
,, *Tacitus scribunt: sed ea alter prope Lunam sylvam esse*
Gotthiny lingua Gallica usi. ,, *dicit: alter Gotthinios, qui vtebātur lingua Gallica, effodisse. Hæc ille. Annon, quæso, mirum est, ánnon etiam maximè ad laudem & gloriam nostrorum pertinet, in media ferè Germania linguam Gallicam locum habuisse.*
Galatæ Diui Hieronymi tempore lingua Gallica vtebantur. *Sed hæc obiter dicta sint. Verum nec etiam hîc tacēdum quod scriptum reliquit D. Hieronymus, Galatas ad quos scripsit Diuus Paulus, quíque à Celtis descenderunt, vt author est Liuius libro septimo quartæ Decados, eadem loquutos suo tempore lingua, qua Treuiri Gallorum populi vtebantur. Receperunt ergo cæteri nostram, quemadmodum & nos alienam linguam. Quocirca, vt eo nostra procedat oratio quò styli cursum destinauit, mirandum non est, si hodierna vulgarísque nostra loquendi consuetudo non parum à pristina illa, quæ nihil ferè nisi Græcum sonabat, distare videatur: siquidem obscuræ non sunt huiuscemodi mutationis ac dissimilitudinis causæ. Quas cùm non indiligenter hactenus expiscati simus, circumscribendus erit cancellis nostræ huius tractationis cursus, ne si alia, quæ licet fortassis nō ineptè huc adduci possent, adferam, nimium longa sumatur oratio. Ex iis autem quæ hucusque à nobis allata sunt (vt rem totam anacephalæosi concludamus) satis coniici atque iudicari potest in Gallia nostra maximopere Græcarum literarum cultum, studiúmque viguisse: potest & intelligi philosophiā priscis illis seculis à nostris plurimùm fuisse celebratam, denique & Græcos ipsa literarum προϋφεστηκότα à nostris habuisse, quemadmodū solerti fidelíque diligentia à sum-*

mis viris obseruatum est & iudicatum, nouissiméque inter recentiores ab Ioanne Rauisio Textore in sua officina, & Guillielmo postello. Quò fit vt rectè Annius Viterbensis in eo quem in Berosum Chaldæum commentariolo scripsit, ita colligat, Quoniam, inquit, Galli vtebantur literis quibus & Græci, vt testatur Cæsar in sexto libro commentariorum, eásque à Samothe patre seu Dite habuerũt, consequens necessariò est, vt nõ à Cadmo, sed à Gallis tam Galatæ, quàm Mæones & Gallogræci, totáque simul Græcia easdem habuerint. Argumento sunt quæ authores produnt Xenophon, Archilochus, & Iosephus. Iudicent ergo disciplinis melioribus nitidissimè exculti, quíque solidam & expressam prudentiæ imaginem vnà cum eruditione sunt consequuti, quàm peruersè faciant, & quantùm à veritatis orbita aberrent, qui Gallos ferè semper artium ignaros, & literis malè inauguratos, aut certè semidoctulos existimant, cum certo sit certius apud ipsos longè priùs quàm Latinos & Græcos optimas quasque literas floruisse, necnon primas ab illis extructas fuisse academias, quæ maxima omnium disciplinarũ erant exercitatione insignes. Cuius equidem obseruationis testimonia atque documenta, quanquam non passim literariis historicorum monimentis demandata sunt: rem tamen adeò memorabilem veteres annalium scriptores posteritati non omnino ignotam esse voluerunt. Siquidem vt à Beroso (cui antiquitatis nomine tantùm tribuo, vt eum sæpe mihi testem aduocare nihil pudeat) libro quinto antiquitatum scriptum est, anno imperij Nini Assyriorum regis quarto, literis ac legibus Celtas nostros formauit

Ianigena ille Samothes, Dis cognomento: à quibus demum mille pòst annis aut circiter, non à decantato tot fabularũ inuolucris Cadmo (vt scitè docet Annius) quasi primo authore atque inuentore sua Græci literarum rudimenta, & prima veluti tyrocinia acceperunt. Nam quas Cadmus ille quintus primùm aduexerat literas rudes paulò antè excidium Troianum, à Galatis profectò habuerat. Etenim eas Galatæ ipsi & Mæones priùs à Gallis, suis quidem progenitoribus didicerant, ac deinde tum in Græciam, tum in Orientales plagas frequentissimis emigrationibus detulerant. Non igitur, inquit idem Annius, Galli à Græcis, sed potius à Gallis Asia & Græcia cum Coloniis etiam literas ac disciplinas consequutæ sunt. Aliquot deinde annis post repertum apud Celtas literarum vsum, compertum est in ipsa Gallia, regia tenuisse sceptra Saronem, qui (vt fusè à nobis dictum est) regem nulla ex parte non egregium agens, vt meliùs luctantes populos benigno premeret imperio, atque hominum tum recentum feritatem doctrinæ cultura edomaret, publica gymnasia, quas vulgus vniuersitates nunc appellat, instituere cœpit, cùm nullum adhuc Athenis Lyceum, imò ne vllæ quidem Athenæ conspicerentur. Vnde ab hoc non immeritò postea Celtarum Theosophos ac Philologos vocauerunt Saronidas: quibus ob insignem rerum admirandarũ peritiam solis sacrificia curare concessum erat, religiones interpretari, Dei cultum imbecillioribus præmonstrare, & rudes adolescentum animos bonis artibus, ac disciplinis imbuere. Sed quoniam hæc satis longo, ni fallor, verborum circuitu videtur exposita,

Non Galli à Græcis, sed Græci à Gallis literas quondam habuerunt.

ſupereſt vt iam ad eos qui barbariei notam nobis inurũt, (quod nos antea facturos ſumus polliciti) orationem cõuertamus, & ſuccincta oſtẽdamus tractatione quàm exculti, quàm celebres, inſignes, expoliti, cæteríſque & literarum & armorum ſcientia præſtantiores ſemper fuerint noſtri Galli, adeò vt in his duobus tam nemini ceſsiſſe, quàm alios longè ſuperaſſe facilè poſsint deprehendi.

IOANNIS PICARDI TOVTRERIANI DE PRISCA CELTOpædia Liber Quintus.

QVI acuto & perſpicaci ſunt ingenio, nec ex eorum numero ſunt qui fauces aqua, quod aiunt, ſtrangulari putãt, facilè ex iis quæ ſuperiùs de admirãda priſcorum Gallorum doctrina & eruditione adduximus, intelligent priùs in Gallia optimarum fuiſſe artium principatum, necnon celebres bonarum literarum academias ibidem quàm in Italia floruiſſe. Cùm enim omnibus aſſentiẽtibus, nec certè reclamãtibus Latinis, conſtet Græciam longè antè literarũ ſplendore illuſtratam, quàm aliquid philoſophiæ aut eruditionis Roma eſſet conſequuta, ipſos verò Græcos (vt à nobis demonſtratum eſt) longè tardiùs quàm Gallos diſciplinarum habuiſſe cognitionem, atque ipſa literarum primordia è Celtis ad eos primùm fluxiſſe: nemo eſt, niſi

Literæ in Gallia pri' quàm in Italia.

qui αὐθίκαστος fuerit, qui subitò non colligat, ac sine vlla repugnantia concedat multò priùs Galliam quàm Italiã literarum celebritate claruisse. Quod cum ita sit, mirum est quosdam recentiores eò impudentiæ deuenisse, vt nescio quibus blateramẽtis in nos lasciuire nihil vereantur, barbariem ac veluti feritatẽ quandã nobis obĳcientes. Quod si antiquorum more barbarum cum intelligerent, qui nec ex illa regione est in qua versatur, nec eorum linguã quibuscum agit assequitur, denique quicquid peregrinum esset & extraneum, idipsum esse barbarum, profectò non tam procul à scopo distare viderentur, nec eorum grauaremur sententiæ subscribere, quòd & optima, & à conuitiis aliena posset iudicari. Hoc enim modo à Græcis Cares, qui Asiæ minoris partem Meridionalẽ incolebant, quo tempore stipendia per totam Græciam merebantur, appellatos legimus barbaros, non ad contumeliam, vt Apollodorus Grammaticus existimauit, sed quia & moribus & lingua ab iis quibuscum agerent differre omnino viderẽtur. Hoc modo vocẽ hãc vsurpauit Sophocles cum ait, τὴν βάρβαρον γὰρ γλῶσσαν οὐκ ἐπαΐω. Hoc modo Thucydides, qui bellum ab externis populis illatum βάρβαρον πόλεμον appellauit. Hoc modo apud medicos βάρβαροι ἔμπλαστοι dicuntur, quòd non ab ipsius regionis hominibus, sed ab exteris, eorum manarit vsus atque inuentio, quanquam Galenus libro secundo ad Glauconem, quamobrem ita dicantur, hæsitet. Hoc modo βάρβαρον γυναῖκα appellauit Lucianus. Talem etiam loquendi formulam tam apud M. Tullium, quàm omnes propemodum poëtas obseruare licet, vt apud Albium Tibullum libro primo Ele.

Barbari qui propriè dici debeant.

Barbara Memphiten plangere docta bouem.
Sic quoque apud Martialem: Barbara pyramidum sileat miracula Memphis. Vsus est & hac phrasi Metagenes in Thuriopersis, quum apud Suidam ita ait, τίς τρόπος ἴσπωρ; ὡς δ᾽ ὀχοῦνται τὴν βαρβαρικὸν τρόπον οὖν τι; *Huiusmodi namque verba iactari solebant, vbi quis nouam ac peregrinam inducere volebat consuetudinem, quemadmodum si quis hodie Germanus, aut Italus Gallicis vestibus & à patrio ritu abhorentibus vteretur apud suos. Eodem quoque modo & Gallus Germanum, & Germanus Gallum, atque illos omnes, qui nec suæ sunt nationis, nec vno eodémque vtuntur idiomate, barbaros citra conuitium appellare poterit. Ac ne quis me ista malitiose detorquere cogitet, omissis Ethnicorum sententiis id ipsum audiat ab Apostolo doctrinæ prophanæ nequaquam imperito in prima ad Corinthios epistola expressum, cùm ait,* Ἐὰν οὖν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς φονῆς, ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος, καὶ ὁ λαλῶν, ἐν ἐμοὶ βάρβαρος: *id est, Si nesciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me, barbarus. Nec verò inficiamur aliam nominis huius, ac paulò diuersam esse significationem. Etenim factitio nomine, inquit Strabo, barbari dicti sunt ab initio qui difficulter, asperè, atque duriter loquebantur, quasi duriloqui, & crassilingues, quemadmodum blesi atque balbi dicuntur, qui lingua impediti sunt. Dicebantur barbari* κατ᾽ ὀνοματοποιΐαν, ἀπὸ τοῦ βάρβαρ, *absona voce, in quam peregrini homines Athenas aduentantes, quum primùm Græcè loqui conarentur, incidere solebant. Propterea quicunque crassa nec satis diserta, expeditáq; sunt loquela, hac ratione.*

Qui primùm barbari dicebantur.

barbari dici poterunt. Hinc Plautus Næuium poëtam Latinum barbarum dixit, ſed citra contumeliam. Quòd ſi ad illam veterum formam ſeſe inter loquendum componerent iſti recentiores, eſſent mehercle ſi non albo, quod aiunt, calculo, at ne vngui quidem notandi. Nunc autẽ cùm barbaros nos iudicent, partim quòd immitiorem, minúſque cultam, ſi diis placet, linguam habeamus, partim etiam quòd & illiterati illis videamur, & malis moribus imbuti, & efferi, & agreſtes, & ſi quid aliud ſit quo maledicentiæ morbo correpti nos adoriantur, eámque planè barbariem in nobis reponant, qua de Cicero pro Cornelio Balbo loquutus eſt, vbi inueteratã quandam barbariem ex Gaditanorũ moribus diſciplináque eum deleuiſſe ait, vix hercule tacere, aut ad huiuſmodi probra conniuere nos poſſe exiſtimo, ſine magno Gallici nominis dedecore, cùm qui tacet, nec illatas calumnias cùm poßit propulſat, ſimilis omnino ſit conſentienti. Iniquum autem videretur, ſi nihil nobis eſſet, quod opponeremus iſtorum obtrectationi. Sed & hoc multò iniquius quod illi, homines abunde de ipſis benemeritos non ſolùm non ament, ſed graui proſequantur odio, & ſceleratißimum quodcunque poſſunt infamiæ genus impingant. Et nos interim quò tardiores ſumus in retundendis eorum calumniis, hoc liberiùs ſibi deblaterandum putant. Diceres illos quaſi in ſacro Iouis ſinu poſitos adeò in tuto eſſe, vt à nobis vicißim malè audire nequeant, ſolique ſimus qui Anagyrim, quod aiũt, commouiſſe videamur. Nec eloquentiam tantùm, aliáſque omnes bonas artes, ſed etiam bellicæ fortitudinis gloriam nobis detrahunt, vniuerſam ferè gentem noſtram

Barbarũ aliquando per contumeliam dici.

habentes ludibrio, & effusissimis veluti habenis inuadentes. Quòd si hæc duo nobis auferri vel ipsa hominum opinione sinamus, nempe bellicam virtutem, & literarum decus, quid aliud ampliùs obstare poterit quo minùs iure optimo communi omnium ore barbari iudicemur? Proïnde mirandum quomodo tam patienter sorbeamus huiusmodi indignitates, licet quorundam stomachis interdum concoctu difficiles. Siquis emendicatam, & hinc atque inde compilatam Antonij Sabellici legat historiam, nihil ferè tertio quoque verbo offendet quàm hæc inania in nostram, vt putant, infamiam commenta, & obliquas, quibus ille nos non rarò solet impetere, strophas. Galli, inquit, fugiunt: barbari vincuntur: Gallorum immanitas: Gallorum cædes: Gallorum superbia: Gallorum mollities: & alia id genus penè sexcenta. Et alicubi de Gallis ita loquitur, Etenim quum primum illum impetum, quo feruida & cæca ira in pugnam ruunt, sustinueris, fluunt sudore & laßitudine membra, labant arma, molles & animi: vbi illa ira remisit, sol, puluis, sitis, etsi ferrum non adhibeas, prosternunt. Scio huiusmodi ferè sentẽtiam in Liuio haberi: qui sibi non satis constans, quod alibi Gallorum genti attribuit, alibi detrahit. Talibus mendaciis nos audent vellicare, qui nec literarum præconiis, nec bellica virtute superari possumus. Habet & Raphaël Volaterranus in sua Geographia Alpes Italiæ contra Barbaros Deũ obduxisse: quanquam illud scriptum videri potest citra cõtumeliam. Et Sylius libro octauo, vaniloquum Celtæ genus & mutabile mentis appellat. Baptista Pius, parũ

Quàm malè de Gallis sentiat Sabellicus.

B. i.

Detorta Gallorũ etymologia nimium vafrè excogitata.

alioqui pius, quòd mendaciorum, non minùs quàm verborum audax fuerit innouator, Gallorum etymon inuestigans, tandem rectè sibi sapere, & puteos Agamemnonis in Aulide videtur effodisse, postquam detortã suis „ somniis nactus est verbi deriuationem. Gallos, ait ille ca- „ uillator, Latinitas appellauit, quòd vires habeant Eunu- „ chinas, & imbelles: quod nomen Romanorum conuitio „ sunt adepti. Apud eundem Polybius Gallorum gentem crapulæ atque ebrietatis insimulat. Quæ calumniæ etsi ipsæ vt falsissimæ & iniquissimæ, per se fidem sibi satis abrogent, si quis tamen apertiùs rei huius veritatem nosse cupiat, ad ea quæ iam superiori tractatione de Gallorum onomatologiis adducta sunt, recurrere licebit. Sed nondum finis catalogi vitilitigatorum, vt Catonis vocabulum in eos transferam. Eusebius de præparatione Euangelica Celticam nationem pæderastiæ traducit & infamat. Iulius Firmicus Maternus ad Mauortium Lollianum scribens nostros nimiùm impudenter deprimit, cùm ibidem turpi iactantia suos ad sydera vsque non vereatur educere. Ait enim Italos fieri regali semper nobilitate præfulgidos, Gallos stolidos, Syros auaros, acutos Siculos. Petrus Crinitus, quem non immeritò Cornutũ quidam è nostris appellarunt, in suo de honesta disciplina libro, Gallos homines ingenio facit barbaro. Et ali- „ cubi de his hunc in modum scribit: Dignum certè facinus „ & memorandum contra insolentiam Gallicam, quæ ri- „ dendo fidem frangit, & victus illudit. Rursúmque alibi, „ Sed enim, inquit, literæ ipsæ ac bonarum artium studia „ simul cum Italiæ libertate cœperunt. paulatim extingui

,, barbaris ingruentibus: de Gallis nimirũ intelligens. Quòd si id tantùm retulisset ad Gothos & Vuandalos, ac non etiam ad Gallos, censorẽ se præbuisset æquiorem, minúsque à scopo aberrasset. Multa quoque in aliis aliquot recentiorum scriptis legentibus occurrunt, quæ Gallorum præstantiæ atque dignitati nimiùm derogare videntur. Quid enim plura memorem? Aut quid hic insectationes plus quàm Tragicas, quibus non rarò nos multi alij morsicatim solent lacessere, producam? Paucissimos reperias qui nisi inuiti, & aperta nimis coacti veritate de Gallis bene sentiant. Quin potius omnes in delendo nostro nomine, & obliterandis splendoris Gallici ornamentis toti esse videntur. Quinetiam eò vsque progressos huiusmodi fumos videmus, vt iam plebeiorum hominũ, qui pessimi sunt rerum bonarum æstimatores, cœtus pulchrè sibi blandiantur, si quid scommatis interdũ nobis obtrudere possint. Iámque licentiore calumnia in nos desæuiunt, nec posticis tantummodo cachinnis, sed apertissimis quoque illusionibus nostrum quemque adoriuntur. Heu somnolentos glires, & Maliaca verè nauigia. Pudet permultarum id genus nugarum in foro, in clibanis, in tonstrinis excogitatarum. Quas cùm à veritate procul dissitas nemo non videat, non solùm tamen hircosis istis fabularum propolis nihil respondemus, sed eorundem figmenta veluti oscitantes contemplamur, sed dissimulamus, sed miramur, sed pacato suscipientes vultu legimus, atque manibus nostris piscium more obmutescendo attrectamus. Quasi verò non sit affatim nobis conuitiorũ (conuitium si conuitio vt clauus clauo pellendum sit) non abundè

ſatis verborum, quibus eorum retundamus ſupercilia, & malo nodo, quod parœmia dici ſolet, malum reperiamus cuneum. Horum fabuloſa in nos commenta quiſquis animosè repulerit, huic profectò Galliam paulò minus debituram quàm patriæ libertatis authoribus exiſtimo. Quãquam cum illis mitiùs agendum ſuadeo, quàm vt ἐξάρμαμάξης eloquendum putem. Id tantùm in præſentia nobis incumbit negotij, vt modeſtè doceamus quàm falsò nos in barbarorum ſiue agreſtium hominũ (ſic enim barbaros ferę interpretantur) habeant catalogo. Quod ſanè abunde præſtitiſſe videbimur, ſi in politiori literatura nos principatum & hodie obtinere, & aliàs frequentiſsimè obtinuiſſe, itémque ſi quantum in re militari ſemper Gallica valuerit natio aperiamus. Illæ enim duæ diſciplinæ, armorum videlicet & literarum, ſolæ ſunt quæ generis claritatem conciliant, quæ nominis adferunt immortalitatem, quæ ſui cultores è ſitu ac puluere apud poſteritatem quantumuis ſeram vindicant. denique illæ ſunt quæ omnem obſcuritatem, omnémque & barbariem & ἀγροικίαν ab hominibus, à ciuitatibus, à populis depellunt. Sed quomodo literæ & cuiuſuis generis artes in Gallia priuſquàm in Græcia atque etiam Italia prioribus ſeculis maximè claruerint, ſuperuacaneum eſſet prolixiùs hoc loco repetere, præſertim cùm libris præcedẽtibus ſatis multa de hoc ipſo dixiſſe videamur. Nunc ex illo loco id tantùm in mentem veniat priſcos illos Gallos qui ſub Samothe, Mago, Sarone, Dryo, Bardo, Longone, Bardo iuniori, Luco, Celte, Hercule, Galate, Arbonio, Lugdo, Belgio, aliíſque antiquiſsimis Celtarum noſtrorum re-

Sola armorũ ac literarum præſtãtia generis claritatẽ conciliari.

Multa priſcorum Galliæ regum nomina hic recenſentur.

gibus vixerunt, literarum omnium eminentißima cognitione nobiles fuiße ac insignes. Iam (quod dicendũ supereſſe videbatur) ostendamus Latinos ipsos ab hominibus nostris alioqui facundißimis, vel in ipso Latino sermone nõ paruum habuiſſe adiumentum. Quo confecto, ad bellica quibus nostri perpetuò claruerunt, facinora nos recipiemus. Hic equidem videre videor nasutos quosdam, qui audito quòd Gallis summam tribuere facundiam velimus, protinus in cachinnum soluant, petántque vndénam constet eam Gallis infuiſſe facundiæ præstantiam, & alias ab iis quæ superiùs adductæ sunt rationes postulent. Quorum curiositati, aut animo potiùs maleuolo, tametsi neminem tanta eſſe vi persuadendi existimem qui poßit satisfacere, paucula tamen adhuc eadem de re inculcare nõ pigebit: quamuis mihi adeò quorundam inueterata videatur peruersitas, vt nullis quæcunque adduci poßint rationibus, nulla authoritate, nulláque suasione velint ab ea, quam semel imbiberunt, opinione desciscere. Nec tamen nobis idcirco silendum est, ne & ipsi alicuius criminationis consciĳ videamur. Ac primùm dicite qui gentem nostrã eruditionis nomine suspectam habetis, nósque omnes barbaros pronuntiare audetis, quidnam eruditißimus ille Lucianus Samosatenus, in nullam alioqui gentem haud debacchari solitus, de Gallorum vobis sentire videtur eloquẽtia? Annon lepidißimo ille apologo ex Herculis statua Gallicam eloquentiam perpulchrè insinuauit? Quid? Annon etiam Satyricus, ac mordax ille Aquinas (neque enim Itali omnes de Gallis malè senserunt, aut barbarorum loco habuerunt, sed doctißimi & præstantißimi

Summa Gallorum facundia

quique illorum Gallum semper vt ad omnia valde docilẽ admirati sunt) facundiam generi nostro attribuit Satyra decima quinta, cùm ita ait,

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Cui succinens etiam alius poëta Italus,

Et linguæ cultum, inquit, Gallia fortis habet.

Mercuriũ veteres Galli coluerunt. *Adde quòd non absque graui ratione Mercurium, vt author est Cæsar, præ cæteris Diis veteres Galli semper coluerint, huicque plurima per totam Galliam simulacra* *Minerua à Gallis culta.* *erecta fuerint sumptibus nõ exiguis: deinde & ipsam Mineruam, eodem teste, maximo semper prosequuti sint honore, atque veneratione. Siquidem ille facundiæ præesse dicitur, hæc verò doctrinæ sapientiæ, omniúmque optimarum artium dea credita est, eruditorum amica, studiosorũ fautrix. Quinetiam dea illa bene ornatéque dicendi præ-* *Pithò, persuadendi dea à Gallis culta.* *ses Pitho nomine, quam Ennius Suadam, Quintilianus persuadendi deam, Suadelam Horatius, Cicero leporem, alij plærique Flexanimam, Græci aptissimè ψυχάγωγον quasi ductricem & oblectratricem animæ vocant, maximi cuiusdã numinis loco olim apud Gallos nostros culta fuit, & in precio habita, quemadmodum optimè ex Luciano docuit noster Budæus. Quod hercle cur ab eis factum credas, si literarum & eloquentiæ non fuissent studiosi? Verùm ne omnia in re non admodum abstrusa persequi videamur, vnicum addamus diui Hieronymi testimonium, qui in libro, seu inuectiua aduersus Vigilantiũ,* *Sẽper Gallia viros habuit eloquẽtissimos.* *„ Sola, inquit, Gallia monstra non habuit, sed viris semper „ fortibus & eloquentissimis abundauit. Quòd autem nostrorum eloquentia magnũ Latinis adiumentum attulerit,*

argumento est celeberrima, quam L. Plotius Lugdunensis insignis & facundißimus Rhetor, Romæ erexit academia, in qua eloquentiã mira facilitate ac diligentia profitebatur, & in qua eum nobilißimos quósque Romanorum præcepta Rhetorices primùm docuisse extra controuersiam est. Qua in re dici non potest quantùm Romanis profuerit, & quanta etiam fuerit eius apud illos authoritas. Cùm enim illi non modò armorum gloria Græcis superiores, sed etiam doctrinarum studiis pares fieri studerẽt, conarentúrque primùm optimis artibus perceptis, & præceptionibus adhibitis omnem Eloquentiæ commẽdationem assequi, eámque ad rem paucißimi tunc temporis, aut nulli ferè sese offerrent idonei professores, primus noster ille Plotius in medium prodiit, primus magno omnium consensu & applausu Eloquentiæ ludum aperuit, primus nobiles urbis adolescentes magnis aßiduísque ad dicendum exercitationibus formare cœpit. Eidem facultati M. Antonius Gnipho natione quidem Gallus Græcarum literarum peritißimus Grammaticen adiunxerat. Quocirca nostrorum auxilio, atque beneficio maiora in dies incrementa in Romana fiebant Eloquentia. Quanquam enim splendor rerum & magnitudo caussarũ, perpetua Senatus cum plebe certamina, & quæ de rebus maximis incidebant consultationes, hominum egregiè cordatorum ingenia ad dicendum quodammodo inflammare videbantur, ea tamẽ quasi veterno graui torpescere cogebantur, nullo suas ferente suppetias Theseo. Tandẽ verò nostrorum virtute, ac subsidio ad hanc ipsam Eloquentiã manifestum patuit iter, & apertus fuit cursus ad gratiã,

L. Plotius Lugdunensis primus ludum Rhetorices Romæ aperuit

M. Antonius Gnipho Romæ docuit.

laudem, honores, authoritatem, dignitatem, & potentiam. Hinc innumerabiles alij tãquam ex equo Troiano promanarunt Rhetores, ac Eloquentiæ magistri. Nam Atteius quidam prætextatus (cuius meminit Suetonius Trãquillus in libello de claris Grammaticis) nobilis Grammaticus Latinus, atque declamator, qui postea Philologi nomen sortitus est, ad Lælium Hermam scribens gloriatur se Antonium Gniphonem audisse. Hinc etiam Oratores grauissimi tam orationis grauitate, quàm verborum nitore & elegantia insignes M. Crassus, M. Antonius, Qu. Hortensius, L. Domitius, M. Claudius, L. Torquatus, Seruius Sulpitius, P. Lentulus, aliique non pauci, ceu ex abundantissima & æstuanti scaturigine prodierunt. Vnde Antonius Sabellicus, Iacobus à Bergamo, & Eusebius tametsi Gallorum non vbique, imò rarissimè faueant nomini, attamen hac in parte veris victi, non potuerunt quin vel scriptis suis ab hoc ipso nostro Plotio primùm Romanis illustratam atque præmonstratã Rhetoricam faterentur. Visne, dicet aliquis, hisce rationibus atque argumentis Latinum sermonem à Gallis primum manasse? Minimè verò. Quis enim tam impudens, qui id asserere velit. Sed hoc tantùm contendo Latinos sub ipsam linguæ Romanæ, vt ita dicam, pueritiam, in augendis suis literis maximum à nostris habuisse adiumentum, in primis verò ab ipso Plotio. Certè & ipse M. Tullius Latinæ facundiæ antesignanus illius auditor fuit. Ipse enim & Qu. Frater, vt à plerisque scriptum est, ab hoc, quemadmodũ & à M. Antonio Gniphone Gallo, literas Latinas, & prima Romani eloquij rudimenta

Atteius prætextatus se M. Antoniũ Gniphonem audiuisse gloriabatur.

Oratores grauissimi.

Plotium audiuit Cicero.

Antonius Gnipho Gallus Ciceronis præceptor.

didicerũt. Huius posterioris scholam vt doctrinæ & eruditionis plenam frequentare, & tanquam in ea se ipsum recoquere non erubuit idem M. Cicero, etiã quum præturam gereret. Illius verò ludum, cùm adhuc puer esset, nonnunquam adiisse dicitur, tametsi se diutius eum coætaneorum suorum more non audiuisse aliquando sit con- ,, questus. Sic enim in epistola ad M. Titiniũ refert: Equi- ,, dem memoria teneo pueris nobis primùm Latinè docere ,, cœpisse L. Plotium quendam: ad quem quũ fieret concur- ,, sus, quòd studiosissimus quisque apud eum exerceretur, ,, dolebam mihi idem non licere: continebar autem doctis- ,, simorum hominum authoritate, qui existimabant Græ- ,, cis exercitationibus ali meliùs ingenia posse. Hunc eundem (nam diutissimè vixit) M. Cælius in oratione quam pro se de vi habuit, significabat dictasse Atracino accusatori suo actionem: subtractóque nomine hordeariũ eum Rhethorem appellat, deridens vt inflatum, leuem, ac sordidum. Sed de hoc satis. Cæterùm de Gniphone nostro non minùs præclarum quàm honorificum extat Suetonij ,, testimonium. Fuisse dicitur, inquit, ingenij magni, me- ,, moriæ singularis, nec minus Græcè quàm Latinè doctus: ,, præterea comi facilique natura, nec vnquam de merce- ,, dibus pactus, eóque plura ex liberalitate discentium cõ- ,, sequutus. Docuit primùm in D. Iulij domo pueri adhuc, ,, deinde in sua priuata. Docuit autẽ & Rhetoricam, ita vt ,, quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret verò ,, non nisi nundinis. Scholam eius claros quoque viros fre- ,, quentasse aiunt: in his M. Ciceronem, etiam cum præ- ,, tura fungeretur. Scripsit multa, quamuis annum ætatis

Cicero prætor se recoquendũ Gniphoni dedit.

„ *quinquagesimum non excesserit: etsi Atteius Philologus*
„ *duo tantùm volumina de Latino sermone reliquisse eum*
„ *tradit: nam cætera scripta, discipulorum eius esse, non*
„ *ipsius: in quibus & suum alicubi repertum sit nomen.*

Valeri' Cato Gallus summus poëta nobiliores Romanorũ adolescentes poësim docuit.

Inter hos etiam literaturæ Romanæ primipilos reponendus est quidam Valerius Cato natione & patria, vt Tranquillus ait, Gallus: qui sub ipsam Romanæ linguæ infantiã docuisse fertur multos & nobiles: visúsq; est peridoneus præceptor, maximè ad Poëticã tendentibus, quẽadmodũ his Bibaculi versiculis apparere potest: in quibus etiam summis viris Zenodoto & Crateti æquiparatur.

„ *Catonis modo Galle Tusculanum*
„ *Tota creditor vrbe venditabat.*
„ *Mirati sumus vnicum magistrum,*
„ *Summum grammaticum, optimum poëtam*
„ *Omnes soluere posse quæstiones,*
„ *Vnum difficile expedire nomen.*
„ *En cor Zenodoti, en iecur Cratẽtis.*

De hoc item extant & hæc nescio cuius alius antiquissimi poëtæ carmina apud Gellium,

„ *Cato Grammaticus Latina Siren,*
„ *Qui solus legit ac facit poëtas.*

Inscripserat præter grammaticos libellos Latina aliquot poëmata, ex quibus Lydiam, & Dianam maiorem in modũm placuisse affirmãt. Fuit & nobis alius hoc Catone, atque adeò Plotio aut Gniphone ætate paulò superior Latinarum disciplinarum haud ignauus vexillarius, cuius nomen, quòd iuuandis ac promouendis literis fuerit deditißimus, lituram pati non potest. Erat is Sta-

tius Cæcilius vt natione Gallus (quod Latini authores minimè negarunt) ita & pectus Gallica præstantia dignum gerens: ante cuius ætatem nihil præclarum, nihil Romana grauitate dignum in comœdiis vel scriptum, vel auditum Latinè fuerat. Ille itaque nouam Comœdiam Græcorum imitatione vnà cum Cn. Næuio symmista & synchrono primus dedit. Quin etiam in Comœdiarum descriptione facilè aliis omnibus, qui postea scripserunt, Comœdiographis palmam præripuit, & principem inter alios omnes, qui in hoc scribendi genere excelluisse crediti sunt, sibi locum vel iudicio Volcatij Sedigiti, qui scripsit de ordine Comicorum, meruit. Vixit summa familiaritate cum Ennio, cui non solùm prælatus est, sed etiam ab eodem multa didicisse Ennium ipsum fama est. Non parum etiam huius consuetudine delectabatur Publius Terentius. Nam & illi iam senio confecto suas recitauit Comœdias, non dedignatus eiusdem super illis poscere iudicium. Vnico autem post Ennium vita functum vixisse anno perhibent. Et vt liquidò constet quantum operæ in promouendis Romanorum literis insumpserit, scripsisse affirmant Comœdias plus quàm triginta. E quibus hæ passim ab authoribus antiquis citatæ reperiuntur, Nauclerus, Pausimachus, Balneator, Syracusæ, Epiclerus, Hippobolymæus, Institor, Cratinus, Plotius, Asotus, Ephestion, Fallacia, Andria, Annales, Fænerator, & quædam aliæ quæ nunc non succurrunt, quæque vitio temporum planè interciderunt. Non me latet hunc oratione soluta (quod tempori imputandum est) paulò duriorem fuisse, quemadmodum & Næuium eius contempo-

Statius Cæcilius natione Gallus comœdiam nouam primus dedit

Quot scripserit comœdias Statius.

raneum, ac propterea à Cicerone (qui se dum esset adolescens, Terentij loquutione magis delectatũ asserit, quòd eius fabellæ propter elegantiam sermonis à C. Lælio scriptæ putarentur) interdum ferreum scriptorem, interdum malum linguæ Latinæ authorem appellatum. Sed si vel Lucretium legas, vel alios qui aliquid circa illa scripsère tempora, nihilo plus leporis aut suauitatis in eis quàm in Statio reperias, aut Næuio. Quod equidem minùs mirandum est, cùm lingua ipsa Romana nondum illam, quam postea, nacta fuisset venustatem, nondum amœnissimum concentum, nondum pigmenta, ac veluti lenocinia, quæ circa Ciceronis tempora exorta sunt. Fuit enim sua linguæ Latinæ (vt Laurentius Valla docet) infantia, sua pueritia, sua adolescentia, sua & aliæ quædam eiusmodi ætates: quandoquidem fieri non potest vt suum res aliqua summum, perfectúmque, nisi gradatim atque ordinatim, sortiatur incrementum. Sed nullósne alios literarum Latinarum protomystas Gallia nostra suscepit? Imò certè multò plures quàm vt hic commemorare nobis liceat. Ex omnibus tamen qui publicæ famæ præconio digni videri possunt, litura obscurandum non erit M. Varronis Atacini nomen, de cuius ortu & natalitiis iure optimo gloriari possunt Galli Narbonẽses. Hic præter insignem Græcarum literarum peritiam, non postremas etiam inter antiquißimos illos poëticæ artis proceres tenuit, adeò vt nullis eorum vel eruditionis, vel antiquitatis nomine cedat. Ipso Lucretij tẽpore vixit, ac floruit. Quibus enim annis variam Lucretius de rerum natura doctrinam ex Epicuri placitis haustam numeris cõclusit, hic noster Py-

Libro epistolarũ ad Atticũ septimo.

M. Varro Atacinus Narbonensis.

thagorica instituta Latinis versibus diligenter, & accuratè expressa Romanis dedit, suísque aliis multis laboribus Latinum sermonem auxit, suo splendore ornauit, sua authoritate fouit. Quod si vlteriùs progredi lubeat, habuimus alium quoque Statium superiori nulla in re nisi solius antiquitatis ratione inferiorem, qui Papinius vulgò cognominatus est, poëtam sanè adeò & eruditum & facundum, adeóque literarum miraculo celebrem, vt quem antea superstitem, rebúsque omnibus egentem nemo ferè agnouerat, hunc vita functum multæ Gallicæ vrbes certatim sibi vendicarint (quod & de Homero factum legimus) adeò vt quibus potissimum credere debeamus, non facile fuerit discernere. Siquidem Lingonenses multis rationibus ciuem esse dicunt suum, Tholossates repetunt, Tullenses natalem huius diem gloriosa prædicatione sibi assumunt, suúmque esse confirmant. Quin & Neapolitani, quòd diu apud eos philosophatus fuerit, hunc reposcunt, & ad seipsos trahunt. Iuuenali & Martiali fuit æqualis & contemporaneus. Multa, eáque elegantissima reliquit poëmata, Syluarum libros quatuor, Thebaïdos libros duodecim, & Achilleidos opus inchoatum, quod morte præuentus absoluere non potuit. Scripserat & Agauen Tragædiam, quam inopia magna coactus Paridi histrioni vẽdidit. Quod notauit Iuuenalis Sat. 7. cùm ait,

» *-Esurit, intactam Paridi nisi vẽdat Agauen.*

Hactenus de sex eximiis literarum daduchis. Quorum quinque priores nempe Varro, Cæcilius, Gnipho, Cato, & Plotius tum ob doctrinæ excellentiam, tum ob antiquitatem, tum ob propensum in iuuandis Romanorum

Statius cognomento Papinius.

Agaue Tragædia.

literis animum sunt maximè suspiciendi. Est autem illorum omnium laus eò maior, ampliórque censenda, quòd non Priscæ linguæ, non Latinæ, hoc est eius qua sub Latino, cæterísque Hetruriæ regibus vtebātur, non Mixtæ, sed Romanæ penè vixerint temporibus: quibus iam tam linguæ ornatus, quàm meliores artes ac literæ ad summam, quantū fieri poterat, cōtendebant perfectionē, & ad quarū incremēta magis magísq; in dies promouēda illi omnē suā curam atque operam collocarunt. Antea enim nihil fermè literarum in Italia, quod cedrinis tabulis insculpi mereretur, visum fuerat. Nam, vt ait Seneca, quicquid habet Romana facundia quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Nisi fortè Pythagoreos mihi obiecerit quispiam, quos multis iam ante illa tempora annis in Sicilia maximo externorum concursu philosophatos fuisse negari non poßit. Cui respondemus illam, in qua disciplinas pertractabant, regionem inter Italiæ partes tunc minimè connumeratam, ac potius Græcorum annexam fuisse nationi quàm Latinorum. Nam & magna Græcia dicebatur. Accedit quòd ibidem Græcè non Latinè Pythagorei sint philosophati. Taceo quòd totam ferè doctrinam, qua suos illo tempore instituebat Pythagoras, vt de Syderū motu, de animæ immortalitate, de metempsichosi, déque aliis plerísque rebus humanæ mentis captū exuperantibus, à Druidibus Gallorum, qui ante Pythagoram isthæc omnia profeßi fuerant, dimanasse dubitandum non est. Sed ne hîc constitutam emensi curriculi metam nostra præteruolet oratio, his omißis perscrutemur diligentiùs num alij fuerint ex

Pythagorei in Sicilia philosophati: qui tamen sapiētiam à Druidibus Gallorū habuerūt.

nostris, qui Romanis in sapientiæ studio adiumento fuerint. Mihi ex omnibus qui hoc loco recenseri possent, primo ordine sese offert noster ille præstantissimus philosophiæ professor Phauorinus Auli Gellij, atque aliorum propemodum infinitorum cum Gellio Romanorũ præceptor. Phauorinus philosophus Gallus. *Qui bonarum literarum numeros omnes ita fœliciter absoluerat, vt propter singularem quandam & eruditionis & reconditæ sapientiæ vbertatem, ad eius auditorium tota iuuentus Romana haud aliter quàm ad celeberrimum, & affluentissimum cuiusuis doctrinæ emporium conflueret. De hoc sexcentis penè locis, & sæpius cum aliquo honoris titulo mentionem facit idem Gellius in Noctibus Atticis. Quin etiam bonam ipsius libri partem è concionibus ac disputationibus Phauorini depromptam cuilibet intuenti perspicuum est. Huius domus propter insignem, rarámque sapientiæ cephalæosin à doctissimis viris inter philosophorum familias fuit annumerata.* Phauorini domus inter philosophorum familias annumerata. *Cæterùm præter linguæ Latinæ, qua plurimùm excellebat, flosculos ac mũditiem, Græcè adeò optimè sciuit, vt gentis illius eloquio veluti dolatorio, vt cum Cælio loquar, leuigatus, excomptúsque celebre ad posteros nomen dederit. Quid autem Crinam philosophum, Mathematices, & cum primis Astrologiæ peritissimũ, itémque Charmidam insignem Physicum, vtrumque Massiliensem referam? Quorum ille ob summam absolutámque mathematicarum disciplinarum cognitionem Romani populi fata Nerone principe rexit: hic verò damnatis Erasistrati, Chrysippi, Asclepiadis, Themisonis, Dioclis (quos omnes Gallenus trecẽtis penè locis reprehendit) aliorúmque priscorum medicorũ* Charmidas et Crinas Massilienses philosophi.

miseris mortalibus sua ignorantia atque cæcitate fucum facientium placitis, medendi artem Romæ immutauit, idque maxima omniũ, qui tunc in vrbe erant, tam Græcorum, Arabum, atque AEgyptiorum, quàm Latinorũ reclamante caterua: adeò nimirũ & eruditione, & eloquentia, & authoritate vterque prænituit. Fuit & Gennadius Maßiliensis, qui elegantißimo orationis contextu libellum de viris illustribus edidit Theodosii Cæsaris tempestate. Quòd si & alios inuestigare lubeat, quis ante Pythiam Gallum, Cosmographiam eodem Pythia repræsentauit apertiùs? Quis L. Floro historiam compendiosius, elegantiúsque texuit? Hic enim vniuersam populi Romani historiam nõ minùs breuiter quàm ingeniose quatuor libris contraxit: & præterea epitomen, si modò illius esse fatendum sit, in quatuordecim Liuij decadas conscripsit. Inficiari nequeunt Romani (nam multi iam eorum id scriptis apertißimè testati sunt) se ab omnibus istis religiosis Musarum sacerdotibus quàm plurima hausiße, quibus multum decoris & ornamenti suo ipsorum nomini ac dignitati accesserit. Propterea non immerito M. Tullius Philippica in Antonium tertia Gallicam prouinciã florem appellat Italiæ, firmamentum imperij populi Romani, denique Romanæ dignitatis ornamentũ. Fuit enim tempus quo ingenuarum doctrinarũ studiis florente Gallia Romani Græciã illi postposuerunt: iámq; omnes pro Attica peregrinatione Maßilianam academiam disciplinæ gratia certatim petebant, quòd instructißimam musarum officinam, & tanquam eruditonis penu multifariam cumulatũ illic esse intelligerent. Vnde illius vrbis instituta summis

Gennadius Maßiliensis.

Pythias.

L. Florus.

Galliæ prouĩcia Italiæ flos & Romanæ dignitatis ornamentum.

Maßilianam peregrinationem pro Attica, disciplinæ gratia suscipiebãt Romani.

laudibus extollit Cicero, cùm alibi sæpenumero,tũ præcipuè in oratione pro L.Flacco.Cuius hæc sunt verba, Neque verò te Maßillia,prætereo,quæ L. Flaccum militem quæstorem cognouisti: cuius ego ciuitatis disciplinam, atque grauitatem non solùm Græciæ,sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam iure dicam. Quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguísque diuisa, quum in vltimis terris cincta Gallorum gentibus,Barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, vt omnes eius instituta laudare faciliùs possint, quàm æmulari. Inclytam præterea fuisse clarißimo gymnasio in Agricolæ vita Tacitus quoque ostendit,quũ socerum scribit Agricolam statim paruulum sedem ac magistram studiorum Maßiliam habuisse,locum Græca comitate & prouinciali parsimonia mistum , ac bene compositum. Si quis plura de his requirat, Strabonis librum quartum consulat,& Valerij Maximi librum secundum. Quæ enim hucusque siue de celebri vrbis huius academia, siue de primis Romanæ literaturæ præconibus è Gallia nostra profectis adducta sunt , eò spectant vt doceamus quantum adiumenti in doctrina sua promouenda Latini à nostris omni bonarum literarũ cognitione longè præstantißimis olim habuerint. Quod cum ita sit,mirum est quomodo barbariem nobis probro dare audeãt isti nescio qui recentiores,præsertim cùm patres eorum (si tamen sapientißimos illos Romanos,ac non potius Gothos,Vuãdalos, Longobardos, aliósque id genus externos habuerint progenitores)longè maiori modestia prædití,nunquã ita in maledicendi licentiam efferbuerint, vt Gallicæ di-

Maßilliã quã tum extollat Cicero.

gnitati vel tantillum detraxerint. Possem illos meritò, dum ita nos impetunt, non inuidiæ tantum, sed etiam ingratæ nimium malitiæ insimulare, quòd eos culpent, à quibus multis olim beneficiis fuerint prouocati, quique præter literarum communicationem, Italicarum quoque vrbium partem non minimam condiderint. Quod postea minimè negarunt Italici scriptores. Fatetur enim Raphaël Volaterranus in sua Geographia, fatentur & alij plerique Mediolanum, Senas, Veronam, plurimáque Ligurum & Longobardorum oppida à Gallis Senonibus, quo tempore omnia latè occupantes Romam contendebant, extructa fuisse. Verùm quia hæc alium locum videntur requirere, illis potius supersedendum hìc censeo, quàm vt longior insumẽda sit oratio. Siquidẽ de iis postea suo loco paulò fusius dicere statuimus. Iam ne quid murmurare pergant aut calumniari, sed magis intelligant literarum cultum non modò prisca illa ætate, sed & hodie & semper apud nos fuisse, alios ex nostris politissimè excultos, optimarúmque disciplinarum peritissimos enumerare nequaquam pudebit: non quòd his omnibus recensendis (quod certè fieri nullo modo posset) sim immoraturus, sed vt enumerato aliquo eorum qui præcellentes fuerunt, ordine, sese isti in æstimanda Gallica natione æquiores præbeant indices. Quo tempore imperio præerant Valentinianus, & Valens, habuimus Decium Ausonium patria Burdegalensem, literarum omnium siue Græcarum, siue Latinarum candore adeò insignem, vt Gratiani Cæsaris Valentiniani filij præceptor ac doctor esse meruerit, quem literis, omnibúsque disciplinis ita in-

Ausonius Burdegalẽsis.

structum reddidit, vt tandẽ probitate iuxtà ac eruditione clarißimus princeps, necnon syncerus Christianæ religionis cultor euaserit, quemadmodum facilè iudicari potest ex quadam epistola ab eo ad Diuum. Ambrosium missa, in qua omnem fidei suæ rationem exposuit. Porrò Ausonius licet natione Gallus, omnium consensu ad cõsularem dignitatem prouectus est. Librũ epigrammatum ex Græcis in Latinos conuersum numeros edidit. Celebrauit puellam nomine Bissulam. Libellum scripsit de Mosa fluuio. Fastorum libros absoluit, auspicatus à principio vrbis conditæ ad sua vsque tempora. Dedit & epistolas aliquot, quæ nec vulgarem aliorum lectionem, nec triuialem grammatistarum enarrationem sapiunt. Et coætaneus fuit Pontius Paulinus patria itidem Burdegalẽsis, à quo editum est elegantißimum poëma de regibus ex Suetonio collectis. Non est quod Faustum Lugdunensem reticeamus, qui Claudiani, Boëtij, Mamerci, & Caßiodori ætate in quouis disciplinarum genere excelluit, & hymnos atque epigrammata dedit Claudianis versibus aut æquanda, aut certè præferenda. Sed quò minore hìc finiam pomœrio, Cæcilium non adducam, non Seuerum, non Prosperum Aquitanum, non alios infinitos nullarum omnino rerum nescios, in quibus eloquentia, & recondita eruditio de principatu certasse videri possunt. Quorũ omnium nomina & elucubrationes si quis ad vnguem aut enumerare, aut describere tentet,

Pontius Paulinus. *Faustus Lugdunensis.* *Cæcilius. Seuerus. Prosper Aquitanus.*

» *Promptiùs expediat quot fulgeat ignibus æther,*
» *Et quota in Oceani bellua mole natet.*

Quid? C. Sidonium Apollinarem patria Aruernum

C. Sidonius Apolinaris.

Sidonij Apollinaris eruditio quanta. silentio præteribam, qui in hẽdecasyllabis & hexametris versibus maximè excelluit, qui nouem epistolarum libros miro consutos artificio in communem studiosorum vtilitatem exire permisit, qui multa tã oratione soluta, quàm vario carminum genere posteritati reliquit. Hunc etenim excellentissimum poëtam fuisse satis indicare possunt argumenta illa omnibus Terentij comœdiis præposita, quæ ille periochas appellauit. *Hyrenæus.* Quid, quod noster est Hyrenæus Polycarpi quondam auditor, de quo dubites doctiórne fuerit, an melior. De ogdoade, de prædestinatione apostolica, de monarchia Dei, itémque aduersus hæreses libros non paucos emisit in lucem. *Hilarius.* Noster & Hilarius, miris quem laudibus extulit D. Hieronymus, qui editis libris Arrianorum, dogmata prior animo inuicto cœpit impugnare. Duos in psalterium libros, vnum de Synodis, alia denique multa quæ ad nostram vsque ætatem non penetrarunt, imperante Valẽtiniano conscripsit. *Auitus.* Noster & Auitus, qui eloquentiam cum vitæ sanctimonia æquauit. Cuius persuasione Gundebaldus Burgundionum rex Gundonei filius ab Arriana factione, qua fœdissimè conspurcari cœperat, omnino defecit. Hic prætereà diu multúmque, vel libris in lucem editis, in explodendis Eutychianorum, Arrianorum, & Nestorianorum hæresibus desudauit, tandémque Sigismundum regem ad Christi fidem adduxit. *Paulinus episcopus Nolanus.* Noster & Paulinus Nolanus episcopus, cuius ingenium, atque eloquentiam sæpe admiratus est Hieronymus, admirati sunt & alij nõ pauci. De illo enim ita scribit Eucherius in epistola Parænetica,
» Paulinus quoque Nolanus episcopus peculiare & beatũ

„ Galliæ nostræ exemplum, ingenti quondam diuitiarum
„ censu vberrimo eloquẽtiæ fonte ita in sententiam nostram
„ propositúmque migrauit, vt etiam cunctas mundi partes
„ eloquio, operibúsque resperserit. Extant ipsius lucubratio-
„ nes testantes illi altißimam fuisse familiaritatẽ cum Au-
„ sonio Burdegalensi. Hæc ille. Ecce autem quò iam ra-
pior mei quasi oblitus. Commodum videtur vt relictis il-
lis antiquioribus, quorum immensus esset numerus, nunc
ad alios quosdam me conuertam, qui paulò supra ætatis
nostræ memoriam extiterunt, & quorum adhuc recentis-
sima animis nostris insidet recordatio. Ac primùm Iaco- *Iacobus Faber Stapulensis.*
bus Faber Stapulensis vnus è cultioris literaturæ proce-
ribus sese offert, qui non solùm abditißima quæque Theo-
logiæ arcana scrutatus est, sed nullum omnino doctrinæ
genus excogitari posse videtur, in quo non fuerit exquisi-
tißimè versatus. Quod etsi taceremus, relicta ab eo ta-
men monimenta satis eloquuntur. Et hodie qui æra (quod
aiunt) à lupinis distinguere nouerunt, facilè vident quã-
tum ille lucis Theologicæ facultati attulerit, quantũ dia-
lecticæ, quantum & philosophiæ vniuersæ, quæ ante id
temporis à nescio quibus philosophastris, quòd ob igno-
rantiam linguarum vel nihil planè, quod genuinum dici
posset, ex Aristotele, vel certè paucißima quædam fra-
gmenta hinc atque indè confusa quadam collectione excer-
pta haberent, indignißimè tractabatur. At hic noster in
re adeò deprauata quasi pollicem premens, magni cuius-
dam numinis instar emersit. De illo Christophorus My-
læus vir eloquentiæ incomparabilis in tractatu de litera-
tura tale protulit elogium: Lutetiæ Parisiorũ præter alios.

,, *complures, libris ex Italia translatis, & doctis viris inde ,, reuersis nouitate ex illustratis literis vehementer ad eas- ,, dē perdiscendas incensos, Iacobus Faber Stapulensis mul- ,, tò puriùs philosophiam excitato, & in manibus reddito ,, Aristotele, cuius non perinde scientiam assequi poterant, ,, commentariis omnia occupantibus, multiplici diligentia ,, explicare conatur, atque dissentientes philosophorum il- ,, lius artis sententias componere aggreditur. Lubentissimè* hîc duos amœnissimos Eloquentiæ fontes Guilielmū Budæum, & Christophorum Longolium in mentem reduco, Quorum illius quidem scripta diuinitate quadam sententiarum, atque verborum copia aurei fluminis instar exuberabant. Huius verò phrasis ita variis Rhetorum coloribus lasciuiebat, vt nihil nisi Ciceronis oleret lucernam. Porrò Budæus ipse maximum dedit rebus literariis ad omnem præstantiam efflorescentibus incrementum. Siquidem flagranti studio, lectionis diligentia & magnitudine, vtriúsque sermonis Latini ac Græci opulentiam, verissimúmque vsum in commentarios retulit, accuratè, & studiose Græca Latinè reddidit, Iuris ciuilis doctrinam exquisita verborū interpretatione, atque extinctam per multos iam annos rei nummariæ, ponderum ac mensurarum cognitionem laboriose instaurauit. Cuius illustri exemplo, & continentibus exhortationibus æquales plurimi iisdem animis ad amplificandas summo studio literas communiter incensi, hoc nostrum seculum doctrinarum omnium splendore & pertractatione, disciplinas ab ipsis fontibus, vndè primùm dimanarant, puriùs haustis, nobilitarunt: adeò vt tota iam Europa clarissimi literarū doctores & ma-

Guilielmus Budæus. Christophorus Longoli⁹.

Budæi exemplo multi ad literas capessendas incitati.

gistri conspiciãtur, à quibus præclara ingenij, & doctrinæ monimenta veterum penè omnium æmulatione fæliciter suscepta hodie relinquantur. Sed nec Vatablo infensasfuisse Musas existimare possumus, vt quem variis & linguis, & disciplinis vndequaque ornatum & expolitum reddiderint. Cuius laudes id magnitudinis obtinẽt, vt nemo illis satis idoneus scriptor accesserit. In Guilielmo Lãgeio summam eruditionem summæ nobilitati annexam nemo non est admiratus. Cuius oratio veluti piperatis quibusdam verborum flosculis excompta, nullius aures mentémque non deliniebat. Iacobi Lodoïci Strebæi stylo nihil video legi posse castigatius. Verùm ne quasi Orestẽ describens longum faciam, fuerunt nobis & alij non pauci percelebres literarij certaminis hyppodromi, & inuictissimi athletæ (quos vtinam omnes recensere liceret) vt Bayfius, vt Ruellius, vt Petrus Turellus, vt Martinus Akakia, vt Chassanæus, vt duo Syluij Franciscus & Iacobus, vt Gaguinus, vt Ioannes Rauisius Textor, vt Orontius Finæus, qui propter admirandam Matheseos cognitionem omnino mori non debere videbatur, vt Tusanus, vt Barotus, vt AEmilius Ferretus, vt denique, ne omnes ad vnũ persequar, tot medici, tot oratores, tot Theosophi, tot philologi, tot Mathematici, tot poëtæ, tot iurisperiti, quos celeberrimæ nostri temporis in Gallia academiæ Parisiana videlicet, Aureliana, Rhemẽsis, Bituricẽsis, Mõspesulana, Tholossana, Basiliensis, Auenionensis, Pictauiensis, atque aliæ magno Gallici nominis ac dignitatis incremento produxerunt: quorum maiorem partem, quòd non ita pridem fatis concesserint, nos vidisse gloriamur.

Vatablus. *Guilielmus Langeius.* *Strebæus.* *Orontius.* *Gallicæ academiæ.*

Sed quàm multi hodie alij ex his omnibus academiis veluti ex equo Troiano rursus emerserunt, & tanquam suppullularunt insignes literarum mystæ, istis quos nunc adduximus, nulla in re inferiores. Ad quos audiendos videas cateruatim è Germania, Britannia, Hispania, Italia, postremò & ex ipsa Græcia concurri. Nec sanè id absque ratione. Non enim video qua in re siue eloquentiam spectes, siue opulentissimam doctrinæ supellectilem, cultissimis illis Romanis cedere dicamus tam multos quos hìc Lutetiæ in dies magis ac magis florescere videmus, regios linguarum atque disciplinarum professores, támque multos, & eos quidem exquisitissimè doctos quinquaginta penè collegiorum lectores. Parcant alij innumerabiles quorum immensus esset catalogus, Musis omnibus Gratiisque charissimi viri, si hoc loco breuitatis causa eorum nomina supprimam. Neque enim tanta doctorum caterua, quibus Gallia nostra vndique præfulgere cernitur, nisi peculiari quodam tractatu comprehendi potest. De quibus tamen si sic agere possem, neminem vt prætermitterem, haud scio an in vllos Antronios, aut Stalenos (quod Atticus de sui temporis Oratoribus dicebat Ciceroni) incurrerem. Desinant iam Romani suum (si Diis placet) mundi caput inani prædicatione iactare. Desinant Græci suas Athenas tantopere nobis extollere. Celtas intueãtur: Lutetiam videant, atque ibidem toti rubore suffandantur, & in maximam rapiantur admirationem. Siquidem non vnum aut alterum, sed infinitos propè Philosophos illic reperias ipsis Peripateticis non dico similes aut æquales, sed longè profectò acutiores, & ex his nonnullos

Maxima academiæ Parisiensis celebritas.

Stoicis seueriores, quosdam etiam diuiniores Academicis. Occurrunt paßim Medici Aesculapio præstantiores: Chirurgi Podalyrio magis exercitati. Sacræ literæ tot ac tantos illic sui cultores assequutæ sunt, vt quàm plurimas Theologorum myriadas reperire poßis. Grammaticorum scholæ nihil habent obscurum, nihil difficile, nihil caligine inuolutum: nullus Fabij locus nõ peruius: nullus Persius, nullus Lucretius, nullus Lycophron non declaratus. Heroicis carminibus, Tragœdiis, Comœdiis, Satyris, Epigrãmatis, & Epicheræmatibus collegia strepunt & compita. Rhetorum præceptis, declamationibus atque disputationibus, itémque innumeris ænigmatibus fulminãt gymnasia. Sophistarũ nodis vincitur Gorgias, Astrologiæ speculatione Anaximander, harmonia metrica Orpheus, Arithmeticorũ numeris Euclides, Geometrarum mensuris Eudoxus & Ptolemæus. Non est quòd Roma Papyrij sui garrientis ingenium, in quo mira quædam indoles affulgere conspiciebatur, nobis amplius obiiciat, aut ostentet: nam hodie Lutetia nostra Papyrios habet infinitos. Inuenies illic septem annorum infantulos, qui ingenio animíque solertia tantùm valeant, vt senilem iam cum doctrina maturitatem in eis poßis intueri. Iurares illos in nutricum gremio literas vnà cum lacte suxisse. Quid autem referam tantam typographorum, tantam bibliopolarum cateruam? Si suam librorum supellectilem tantopere iactant antiqui, cur nostram reticebimus? Scribit Plutarchus in Antonio Pergamenas bibliothecas sub Eumene habuisse ducenta librorum millia. Et Tyrannion Amisenus nobilis Grammaticus, qui floruit ætate

Vide quantũ literarum ac literatorũ celebritate fulgeat Lutetia Parisiorum.

Bibliotheca memorabiles.

Pompeij supra tria librorum millia possedisse dicitur. Aiunt & Gordianum imperatorē coaceruasse in bibliotheca duo & sexaginta millia voluminum. Inter antiquos quoque bibliopolas à Quintiliano maximè celebratur Triphon: quod fit etiam à Martiali pluribus locis eóque potissimum cùm ait,

Triphon bibliopola.

" *Non habeo, sed habet bibliopola Triphon.*

Qui studiose bibliothecas multa librorum copia auctas extruxerint.

Adhæc Ptolemæum Philadelphum septingenta librorum millia possedisse scribit Amianus Marcellinus. Fertur etiam Iulius Cæsar multas, eásque auctissimas bibliothecas habuiße, quemadmodum & Asinius Pollio, & Pisistratus Athenarum tyrannus, & Paulus Aemilius Persei victor, & Pamphilus Martyr, & Lucilius Lucullus, & Iulius Seuerus, & Domitianus, & Seranus Samonicus, & Colonus Architalassus. At nobis hodie, Dij boni, quàm multi sunt Coloni: quàm multi Serani, Domitiani, Seueri, Luculli, Pamphyli, Aemilij, Pisistrati, Polliones, Iulij, Ptolemæi, Tryphones, qui nullis omnino libris, quamuis abstrusissimis, careant. Quid plura? De Celtis hoc vnum colligam, quicquid vnquam bonæ eruditionis ab egregiis authoribus repertum ac traditum est, id vniuersum à nostris absolutè perfectum cognitúmque eße, qui in quacunque disciplina tam nemini cedunt, quàm alios longè superant. Vis laboriosos grammaticorum canones rectè ac breuiter tibi explicatos? Vnam tibi Galliam eligas, quæ primã in hōc laudem obtinet. Vis Rhetorum myrothecis tuã perpolire orationē? Gallia id abūdè subministrat. Arridéntne dialecticorum subtilitates, & sophismatum argutiæ? Nusquam id fœliciùs quàm in Gal

Quanta literariū ac disciplinariū omniū vbertate illustrata sit Gallia.

lia consequèris. Lubet abditissima quæque physices arcana peruestigare? Ne aliò profectionem pares quàm in Galliam. Sitis veram poëseos harmoniam, & concinnitatem? In Gallicis academiis quantum, quóque modo videbitur, haurire poteris. Téne iuris, legúmque ciuilium studia delectant? Horum nihil non passim Gallia suppeditabit. Moueris ad veram, puram, simplicémque Theosophiæ cognitionem, & veritatis indagationem? Dij boni quãta fidelitate in plerisque Galliæ oris pertractatur: quãquam negari nõ potest rabulis, theologastris, ac fœtidissimis hircis cuncta vel solo halitu inficientibus, quàm plurimas vrbium nostrarum nimium videri refertas. Cupis plurima supramundanæ sapientiæ secreta penetrare? Est in Gallico solo, vndè id facilimè præstes. Quid? aspiras ad Hebræa, ad Chaldæa, ad vtriusque orationis, Græcæ videlicet atque Latinæ facultatem? Non video vnde meliùs harum linguarum perfectam cognitionem quàm ex Gallia petas. Siquidem iam triplicis literaturæ palmam magno eruditorum omnium consensu & Italis, & Græcis præripuit Gallus. Et, quod magis mireris, videtur totus Hellenismus è Græcia in Galliam nescio quo modo translatus, quasi profectò id quod nostrum priùs fuerat, iure postliminij quodammodo ad nos rediisse appareat. Annon digna hæc videntur in quæ laus omnis publico præconio congeratur? Annon his nominibus excelso loco sita sunt Gallica encomia? Si tot tantisque laudibus Calabriæ armenta efferant scriptores, Assyriæ amomum, Babylonis aulæa, Hymetti apes, Cytori buxos, Persicum aroma, balsamum Iudææ, crocum Ciliciæ, cannabem

Legito Budæi librũ De trãsitu Hellenismi ad Christianismum.

Scythiæ, canes Epiri, cæpas Cumarũ, conchas Lucrini, ebur Indiæ, gallinas Numidiæ, lĩnum Aegypti, lentem Pelusii, myrrham Arabiæ, lanas Mileti, nardum Persidis, Phæacum poma, pruna Damascena, Velitrarum oua, Tarentinos porros, Aeoliarum sulphur, vnguenta Persarum, Gangis vniones, Panchaiæ cynnama, Aegyptiũ acetum, croceos odores Tmoli, thura Sabæorum, aliáque id genus, quæ tametsi ob raritatem commendanda videantur, longè minor tamen atque inferior eorum laus est, quàm vt cum inclyta literarum gloria conferri debeat: quanto magis Galliam nostram amplissimis laudum titulis honestandam censebimus, quæ præter alia innumera quibus iure optimo efferri posset, quæque ad nostram hãc tractationem minimè pertinent, hoc vnum præcipuè consequuta est, vt cuiusuis literaturæ fons vberrimus, aut vt veriùs dicam, pelagus immensum dici meruerit. Cũ igitur tot abundemus literis, tot disciplinis, quæ procul dubio feritatem omnem sui cultoribus detrahunt, non possumus quoque nõ multa vitæ honestate, & singulari cultiorum morũ præstantia in hac nostra Gallia efflorescere. Pugnant quippe ex diametro ingenuis artibus animum habere compositum, & immodestis atque inuerecundis moribus præditum esse. Quare siue literarum multarum peritiam spectemus, siue animi candorem, & morum egregiè compositarum præstantiam, equidẽ à rustica barbarie procul semoti videbimur. Quod enim ad integritatem illam morum pertinet, res ipsa loquitur, quàm culti, quàm ciuiles, quàm synceri, habito cæterarum nationum respectu, simus: vt interim non minùs verè quàm elegãter

Galli optimis moribus præditi.

de nobis scripsisse videatur Agathias Græcus historiographus patria Smyrnæus, qui Iustiniano Cæsare imperante vixit, ac floruit. Hic enim initio historiæ de bellis Gothorum, postquam Gallos rectißimæ opinionis esse docuit, eos subinde à ciuilibus, atque optimis moribus laudare & extollere non dubitat. Cuius verba ad hunc ferè modũ Latinè reddita sonant: Hi sanè, inquit, videntur quàm optimis moribus præditi, & maximum in modum ciuiles, nec quicquam habere, quod à nobis hos faciat alienos, præter vocẽ & vestitum: quos equidẽ cùm ob eorum virtutes, tum ob in exteros æquitatem, & inter se concordiam mirum in modum admiratione & laudibus prosequor, ac magnifico. Et paulò post, Nunquam inuicem bella suscepisse hos constat, nec ciuili patriam sanguine inquinasse. Multa alia hic de nostrorum ciuilitate atque æquitate luculẽter eodem libro prædicat. Hinc etiam Plautus in Casina Maßilienses mores, quos miris laudibus effert Strabo, tã- quam optimos & probatißimos dixit. Vbi, inquit, tu es qui colere mores Maßilienses postulas? Huc quoque pertinere videntur quæ superiùs ex Ciceronis oratione pro L. Flacco citauimus. Et audent interim isti nescio qui blaterones in nos demurmurare, irridere, nomen nostrum turpißimis obtrectationibus vellicare. Audent, inquam, barbaros appellare, qui non solùm auersum ab omni turpitudine, atque adeò simulatione, quibus alij multi fœdißimè conspurcantur, animum habeamus, qui vitæ morúmque integritate, ac genuina quadam probitate reliquas nationes albis (quod aiunt) equis præcurramus, sed qui etiam literarum numeros omnes ita fœliciter absolui-

Maßilienses mores optimi

mus, vt facilimum sit intueri quantis stadiis illos à tergo relinquamus. Proinde iam sui erroris, suæque temeritatis admoniti, discant in posterum bene dicere. Discant se ipsis & peritiores, & cultiores aliquando revereri. Discant denique honorem iis deferre, qui diu ante ipsos literas, & scientiam habuerunt, & à quibus etiam multa olim sumpserũt. Quòd si qui fortè obijciãt id quod est apud Plutarchũ in Romuli vita, Romulum nempe vates quosdam ex Hetruria asciuisse, qui literis & mysteriis aliquot fossam sacrandæ vrbi de more facerent, quam illi Mundũ, Græci Olympum vocabant, ideóque argumentum esse colligant iamiam, vel ante Romam conditam literarum aliquid in Italia fuisse, licet ad antiquam ipsorum eruditionem comprobandam nonnihil facere videatur illa ratio, nobis tamen potius quàm ipsis inseruiet. Licet etiam nostris diu ante Romanæ vrbis constructionem literas fuisse satis longa verborum serie antea demonstratum sit, expendenda tamen nobis est illa Plutarchi grauissimi alioqui auctoris sententia: cui nullo modo refragamur, neque eam quam eliciunt, conclusionem refellere in animo est, quin potius cum multis aliis historiographis ingenuè libentérque concedimus plurimis vel ante ipsam Romanæ ciuitatis ædificationem seculis omne ferè disciplinarum genus in Hetruria viguisse: sed tamẽ Hetruscos illos nõ vllius Italicæ gentis, sed veram priscorum Gallorum sobolem fuisse contendimus, qui antiquitus Vmbri dicebantur, vt author est Plinius libro naturalis historiæ tertio. At verò Vmbros illos vetustissimos quidem totius Italiæ populos, qui dicente eodem Plinio Hetruriam incolebant, veterum Gallorũ

Literas habuit Italia vel ante Romam conditam.

Veteres Hetruscos verã Gallorũ prolẽ fuisse multis auctoritatibus ostenditur.

Vmbri, Gallorum soboles.

*prolem esse, authores sunt M. Antonius & M. Cato in
fragmentis, atque etiam Myrsilus historiographus non
contemnendus, patria Lesbius, in eo libro quem de origine
Italiæ scripsit. De M. Antonio testimonium satis euidẽs
» perhibuit Solinus in collectaneis, hisce verbis: Veterum,
» inquit, Gallorum prolem Vmbros esse M. Antonius as-
» seuerat, eosdémque, quia tempore aquosæ cladis hymbri-
» bus superstites fuerunt, Græcè ὑμβροὺς dictos. Sempronius
» quoque in libro de diuisione Italiæ, Montes (inquit) à
» fontibus Tyberis vsque ad Nar inhabitant Vmbri, prima
» veterum Gallorum proles, vt Augustus scribit. Idémque
paulò antè, eodem libro, ipsos Hetruscos veteres Gallos
» appellat, cùm ait: A fontibus verò Macræ ad fontes Ty-
» beris Apenninum colunt Ligures Apuani Hetruscis orti,
» cognomine veteribus Gallis, vt M. Antonius prodit. Hæc
ille. M. verò Catonis in libro de originibus, cuius tan-
tummodo fragmenta quædam ad nos peruenerunt, verba
» sic habent, A Macra ad fontes Tyberis ad inferum mare
» Thusci incolunt, ad superum Galli Aureliani, & AEmi-
liani. Et protinus pòst Gallos pulsis aliquando Thuscis
omnem Vmbriam occupasse subdit. His accessit & Bo-
chi Mauri, aliorúmque testimonium: de quibus ita Postel-
» lus, Gallos (inquit) in Italia priùs quàm in Gallia sta-
» tim post diluuium nouimestre, & vniuersale primúmue
» habitasse, præter Solinum & Catonem Romanos, testi-
» ficatũ reliquêre Bochus Maurus, & Berosus Chaldæus,* Bochus historiographus, natione Maurus.
*» vt Iosephi Hebræi sententiam expositam, firmámque in-
» cogitantes redderent. Hactenus ille. Quin etiam Abo-
» rigines illos (qui primi Italiæ populi ab omnibus existimati*

Aborigines populos, Gallorum fuisse propaginem.

sunt) nequaquam αὐτόχθονας, vt plerique arbitrantur, sed priscorum Gallorum propaginem esse, nostrósque maiores eorum fuisse πρωτερογενεῖς, non tantùm ex fragmentis Catonis, & Solino colligere licet, verùm etiam ex multis aliis antiquorum monimentis. Siquidem & id ipsum testatus est Timagenes ille (cuius meminit Suidas) famosus inter Græcos historiographus, & post illum Amianus Marcellinus insignis historiarum describendarũ artifex, qui Aborigines primos in regionibus Galliæ visos esse asserit. Hi siquidem, vt proditum est, in Gallia illa, quæ Togata dicitur, diutissimè commorati sunt. Ibidémque illis præerat Saturnus quidam (quod obiter meminit Iustinus in sua epitome) Iano propè coætaneus, quemadmodum & Galliæ Comatæ, quam hodie recentioris vocabuli introductione Franciã appellant, Samothes quartus Iapeti filius, idque superstite adhuc parente Noacho, vt apertiùs tradidit Qu. Fabius Pictor, in eo libro qui de aureo seculo inscriptus est. Ex his omnibus, atque aliis multis priscorum Romanorũ testimoniis, si nihil aliud probabilius occurrat, colligi posset, à maioribus nostris aliquas Italiæ partes olim inhabitatas fuisse, imò & ex eis suam habuisse originem: ac proinde, vt ad Plutarchi dictum redeamus, si quid illic doctrinæ, atque literarum prioribus illis temporibus cerneretur, id totum iisdẽ ipsis acceptum ferendum, qui, vt superiùs abundè dictum est, suos excellẽtissimos, & propemodũ θεοεικέλους, arduas quasque disciplinas Græca lingua pertractantes habebãt philosophos. Vnde & ipsis veteribus Hetruscis Thuscorum vocabulum primùm ab eis Græcè inditum est. dicta enim

Thuſcia à θύω, id eſt ſacrifico, quod in futuro facit θύσω, à quo formatur θυσία, Latinè Thuſia, ſiue, vt hodie proferunt, Thuſcia, id eſt, ſiquis ad verbum interpretetur, ſacrificola ſeu aruſpicatrix. De hoc obiter etiam Plinius libro tertio. Quòd ſi roges quã ob cauſam poſtea Thuſcia interpoſito, c, dicta ſit, reſponſio eſt, huiuſmodi additionem aliàs Romanis fuiſſe peculiarem, qui Phœniſſam Phœniſcam efferre ſolebant, & Ciliſſam Ciliſcam, & Libyſſam Libyſcam, atque etiam Libyſcillam. Quocirca, vt ad rem redeamus, coniectari licet quàm antiquæ apud noſtros fuerint literæ. His addendum, Si vera ſint quæ à multis Latinorum prodita ſunt, Euandrum Arcadem, aut certè ipſius Euandri matrem Carmentam literas primùm Italis dediſſe, neceſſariò conſequi non vno atque altero, ſed plurimis ſeculis Gallos antè literas ipſas habuiſſe, quàm Latini eas ab Euandro ſuo, aut Carmenta eſſent conſequuti. Quanquam quæ de Euandro ipſo & Nicoſtrata feruntur, commentitia potius eſſe quàm veritati conſentanea credendum eſt, cùm ante hos philoſophiam, interpretationem fulgurum, & eorum quæ μετεώρα vocantur, vnà cùm theoſophia Tyrrhenis (hi ſunt Hetruſci) fuiſſe cùm ex aliis tum ex Diodori Siculi libro ſexto intelligi poteſt. Siquidem Tyrrheni multò ante Nicoſtratam & Euandrum tempore iam literis floruerant ſub Tyrrheno Lydio quodam (à quo id nominis habuiſſe creduntur) Atyos filio Herculis & Omphales propagine: qui quum poſt multos errores ad inferi maris oras quieuiſſet, totum illum tractum Tyrrheniam, ipſúmque mare Tyrrhenum ap-

Thuſcia vnde dicatur.

Tyrrheni vocantur ipſi Hetruſci à Diodoro.

pellauit. Quæ igitur hucuſque de Gallorum noſtrorum literis & eruditione adducta ſunt, facilè mendacij eos reuincunt, qui nos literis leuiter illitos putant, barbariémq; noſtris non verentur obtrudere. Quos ſi oculatiùs & hodie & quondam (licet intermiſſas aliquo tempore in Gallia diſciplinas non inficiamur) literis omnibus plurimùm valuiſſe animaduerterent, fortaſsis æquiores ſe in æſtimanda Gallia præberêt iudices, & nihil minùs quàm barbaros nos iudicarent, cùm id conuitij in alienos potius, & in eos maximè qui ſtudiis quàm lõgiſsimè feriati ſunt, aut ſylueſcentem cum corpore ſuo honeſtarum rerũ ignorantiam nondum exuerunt, quàm in Gallos abundè ſemper doctrinæ & eloquentiæ ſtudio promotos quadrare & res & ratio perſpicuum faciant. Fortaſſe dicent bellicæ laudis fortitudinem (nam id ſecundum membrum eſt, de quo nos anteà verba facturos pollicebamur) quæ multorum iudicio, atque opinione ſtemmata longè clariſsima hominibus parit, in nobis deſiderari: cùm tamen eam ſuæ fortè iacturæ immemores iam multoties non ſine magno rerum ſuarum diſpendio, & olim & nuper ſeriò ſint experti. Quæ ſanè, cùm iam de eis nonnulla, prout locus poſtulabat, ſuperiùs allata ſint, poſſent impunè hoc loco vel prætermitti, vel ſummis tantummodo labris attingi. Quoniam tamen cum peruicacibus, qui non facilè arena cedere volunt, nobis res eſt, latiùs aliquantò hîc diuagandum fuerit. Qui ſi alia requirant, maioráque cupiant audire, quaſi ſuperiori illa de Gallorum fortiſsimis factis auditiũcula nondũ ſatis aſperſi, niſi pluribus admoneantur quàm inuicta, quámque maſcula virtute ac robore cæteris

præluceamus, quædam eorum quæ à grauißimis prodita sunt auctoribus apponam, vt saltem innotescat nos nulla in re externis gentibus vel ceßisse, vel herbam dedisse. Quòd igitur ad bellicam attinet fortitudinem, certum est maiores nostros tanta virtute animíque magnitudine præditos, vt aliorum omnium populorum longè fuerint præstantißimi & bellicosißimi, quippe qui à nullis omnino populis, sed ab vnico Deo (nam Galli semper Deũ Opt. Max. agnouerunt) se superari posse, iactarent. Id enim ex quodam ad Alexandrum magnũ eorum responso intelligi potest. Nam, vt Ptolemæus Lagi perhibet, annotátque Strabo libro septimo, Galli quondam Adriæ iam vicini, ad Alexandrum Macedonum regem amicitiæ & hospitalitatis gratia conuenêre. Quos cùm rex ipse comiter accepisset, tandémque inter epulas percontaretur quidnam esset quod ij maximè pertimescerent, illos ratus se ipsum responsuros, οὐδένα, inquiunt, εἰ μὴ ἄρα ὁ οὐρανὸς αὐτοῖς ἐπιπέσοι, hoc est, si Latinè vertas, nihil aliud quàm ne suprà nos ipsos cælum ruat. Superba omnino responsio, & quæ non tam fortium, quàm iactabundorum esse hominum videretur, nisi res ipsa doceret eorum facinora ipsis dictis multò maiora, multóque præstantiora fuisse. Certum est enim illos non modò Orientis ac totius penè Asiæ (quod iam antea paucis expreßimus) verùm etiam & Germaniæ, & Britanniæ, & Hispaniæ, atque adeò Lusitaniæ compotes ac dominos aliquando fuisse. Quòd enim primùm ad Germaniam attinet, fidem facit C. Cæsar in Commentariis ita scribens: » Fuit antea tempus » cùm Germanos Galli virtute superarent, & vltrò bella

Quãtum armis valuerit Gallica natio.

Superba Gallorũ respõsio.

Germania bona pars à Gallis possessa fuit.

» *inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique*
» *inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea quæ*
» *fertilissima sunt Germaniæ loca, circa Hercyniã syluam*
» *(quam Eratostheni, & quibusdam Græcis fama notam*
» *esse video, quam illi Orciniam appellant vulgò) Tectosa-*
» *ges occuparunt, atque ibi consederunt. Quæ gens ad hoc*
» *tempus his sedibus se continet, summámque habet iustitiæ,*
» *& bellicæ laudis opinionem.* *Accedit quòd ipsa dictionis notatione satis denotari apparet eorum genus ex Gallia fluxisse. Siquidem, vt vult Bocacius in libello quodam, quem de lacubus, fluminibus, fontibus, & maribus edidit, Alemani suam sortiti sunt appellationem à Lemano, qui lacus est inter Celtas, quem Rhodanus influit: nisi Manethonis Aegyptij sacerdotis & historiographi potius lectioni insistentes existimemus à Lemano rege sic appellatos: qui, vt idem auctor asserit, anno primo Zethi regis Aegyptiorum Celtis regia potestate præfuit.*

Alemani vnde id nominis habuerint.

Britannia à Gallis olim subacta.

De Britannia autem à nostris subacta amplissimum reddit testimonium Eusebius in suis Chronicis ita scribens:
„ *Galli Britanniam hostiliter ingressi, igne ac ferro omnia deua-*
„ *stantes subegerunt.* *Vnde Pomponius Lætus libro secundo in vita Diocletiani, & Raphaël Volaterranus libro tertio commentariorum huic nostræ sententiæ adstipulantes, asserunt Britanniam, quæ hodie Anglia dicitur, id nominis habuisse à quodam Gallorum populo, in hunc vsque diem appellationem suam retinente, qui olim tota illa insula potiebatur.*

Hispaniam aliquãdo Gallorum imperio paruisse.

De Hispania verò aliquando à nostris possessa, Strabo libro quarto suæ Geographiæ Ephori testimonium adducens, certiores nos facit, cùm ait impe-

rium, ac dominium Gallorum olim in Iberiam vsque (ea est Hispania) protensum, nimirum vltra Herculis, quas appellant, columnas. Praeterea idem Strabo libro tertio Anatem fluuium, qui in mare Athlanticum effluens Beticam seu Granatam à Lusitania separat, suo tempore à Gallis fuisse habitatum ostendit. Quid, quòd totam ipsam Beticam, quae Australis regio est Hispaniae, & cuius hodie bona pars regno Granatae annexa est, à Gallis nostris possessam, atque habitatam fuisse constat? Nam vt Nicolai Perotti Sypontini episcopi, veluti recentioris authoritatem, quantumuis nostro huic proposito inseruientem relinquamus, extant Lucani vetustissimi, & praeterea Hispani poëtae verba, quae id satis confirment:

Anas fluuius à Gallis olim possessus.

Beticā Galli incoluerunt.

" *-Impiger Astur, (inquit)*
" *Betonésque leues profugi de gente vetusta*
" *Gallorum.* *Porrò Lusitaniam ipsam, quae tertia Hispaniae pars est, Portugalliam, quasi Gallorum portum dictam ostendit Villanouanus suis in Ptolemaeum scholiis, in secunda Europae tabula: neque id alia ratione, quàm quòd eam Galli diu incoluerint, quemadmodum docet*
" *ipse Ptolemaeus in tabula praedicta, Interiora, inquiens,*
" *habitant Celtici, in quibus vrbes in Lusitania sunt Lacobriga, & quae idem deinde subiungit. Adhaec Ptolemaeus ipsam Gadium insularum regionem Celticam appellat. Atque ea quidem est, quemadmodum attingit Strabo libro primo ac tertio, quam Homerus, multique post Homerū poëte Elysios campos appellarunt. Ex his satis apparet Gallos in ea Hispaniae parte, quae vergit ad Meridiem regnum aliquando tenuisse. Neque id tantum-*

Portugallia unde dicatur

Elysii campi qui dicātur.

modo ad Meridiem, verùm etiam ad Septentrionē. Quod & affirmare non dubitauit Pomponius Mela, vir alioqui Hispanus. Is enim regnum Galitiæ (ita vulgò nominant) describens, tradit ea in regione Artabros esse, & Ianasum Celticæ gentis. Quo in loco Vadianus, quemadmodum & Villanouanus in Ptolemæum, per Ianasum Compostellarum vrbem intelligūt, quam Flauium Brigātium appellauit Ptolemæus. Manifestum itaque euadit Gallorum potentiā ad Germanos, Britannos, atque etiam Hispanos fuisse protensam. Sed hoc quoque dignum est quod in omnium memoriam reuocetur, quo tempore rerum omnium summa ex Romano pendebat imperio, nullam vnquam scriptorum memoria gentem extitisse Gallis rerum gestarum magnitudine aut superiorem, aut Romano populo magis formidolosam. Nihil subiti ac repentini Chartaginēsium motus, nihil vehementes illi orientalium furores, nihil imminentia ab externis quibuscunque pericula obstabant, quo minus in vtramuis aurem otiosi dormirent Itali. Solus Gallorum (quoties audiebatur) aduētus eos metu quatiebat, ac veluti consternabat. Nihil omniū aliorum populorum vires habita Gallicæ virtutis collatione à Romanis habebantur, quippe qui exploratissimum haberent gentem esse mirum in modum terribilem, auidā belli, & vtrique paratam fortunæ. Hoc eorum præconium viderer fortaßè turpi iactantia cōmentus, nisi Mithridates rex Ponti in quadam apud Iustinum oratione dictum nostrum confirmaret, vbi scilicet militibus exponit populos Transalpinæ Galliæ Italiam ingressos, maximis eam, plurimisque vrbibus poßidere: & latius

Gallorum potentiam quātum Romani timuerint.

Mithridatis oratio apud Iustinum.

aliquantò solum finium, quàm in Asia, quæ dicitur imbellis, eosdem Gallos occupasse: nec victã solùm dici Romam à Gallis, sed etiam captam, ita vt vnius illius montis tantùm cacumen relinqueretur, nec bello hostem, sed prætio remotum: Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit, in partem virium suarum se habere: nam hos, qui tunc Asiam incolebant, Gallos, ab illis qui Italiam occupauerant, sedibus tantùm distare: originem quidem, ac virtutem, genúsque pugnæ idem habere, tantóque his sagaciora esse ingenia quàm illis, quantò longiori ac difficiliori spacio per Illyricum, Thraciámque prodiissent, penè operosius transitis illorum sedibus, quàm vbi cõsederant possessis. Hac Mithridatis oratione cognoscitur Gallorum nomen Romanis olim maximo terrori fuisse, quod & alicubi dictum est à Plutarcho. Quid Romanis? Imò & Diis ipsis, si quid fabulis tribuendum sit, immortalibus, contra quos forti, inuictóque animo prælia audebant suscipere, quemadmodũ à Cicerone expressum est in oratione pro Fonteïo. Strabo quoque lib. 4. ab hac nostra sentẽtia non abludens, hunc in modũ scribit: τὸ δὲ σύμπαν φῦλον, ὃ νῦν γαλικόν τε καὶ γαλατικὸν καλοῦσιν, ἀρειμάνιόν τε καὶ θυμικόν ἐστι, καὶ ταχὺ πρὸς μάχην, ἄλλως δὲ ἁπλοῦν καὶ οὐ κακόηθες. διὰ δὲ τοῦτο ἐρεθισθέντες μὲν ἀθρόοι συνίασι πρὸς τοὺς ἀγῶνας, καὶ φανερῶς, καὶ οὐ μετὰ περισκέψεως, ὥστε καὶ εὐμεταχείριστοι γίνονται τοῖς καταστρατηγεῖν ἐθέλουσι. *Pleraque alia in eandẽ scribit sententiam, quæ hoc loco, ne omnia quæ de nostris præclarè scripta reperiuntur, ad vnguem persequi videamur, prætereunda sunt. Nec tamẽ interea vnius Flori omittendum esse censeo de nobis elogium: qui Gallos Senones gentẽ ait*

Galli aduersus Deos pugnare ausi.

natura ferocem, & præterea ipsa corporum mole perinde ac armis ingentibus adeò omni generi terribilem fuisse, vt planè nata ad hominum interitum, vrbiúmque stra-,, gem videretur. Hi quondam (inquit ille) ab vltimis oris, ,, & cingente omnia Oceano, ingenti agmine profecti, cùm ,, media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ,, ne his quidem contenti per Italiam vagabantur. Romam ,, quinetiam aggressi, vniuersum populum in Capitoliũ se, ,, suáque omnia recipere cõpulerunt. Quaquauersum trans-,, ibant, non fulminantes, sed planè fulmina videbãtur, do-,, lebántque expertem cruoris victoriam sibi, ac sine ruina ,, transitum patere. Succurit hoc loco memorandum Aristotelis de Romanæ vrbis interitu per nostros vaticinium. Scribit enim Plutarchus in vita Camilli, eum Romam aliquando à Celtis capiẽdam prædixisse, móxque à Fuluio seruandam iri. Quod ad Camillum ipsum, qui absens Dictator creatus, collectus ex fuga Romanorum reliquiis, Gallos auro nimiũ intentos, incautos oppreßisse, populúmque Romanum Veios migrare volentẽ elegantißima concione retinuisse dicitur, referri debere dubium non est. Neque hîc pondero quàm mira de illo secundo Romulo (sic enim vocant) tam Plutarchus, quàm alij nonnulli scriptores protulerint. Vires tantùm & fortitudinem nostrorum, quoniam nunc eò loci ventum est, breuiter expendimus: quæ profectò in eis tanta fuit, vt homines, vrbes, populos, denique omnia facilè quocunque terrarum sese recipiebant, prosternerent. non modò Græcis ac omnibus Orientalibus terrorem, sed ipsis etiam, quo tempore longè latéque imperabant, Romanis incutientes:

Aristotelis de Roma à Senonibus capienda vaticinium.

quippe qui cum nulla vnquam natione intra, extráque Italiam maiori strage, maioribúsve ducum & exercituum periculis decertauerint. Nam licet ex ipsorum exercitu plus quàm hominum millia centum interdum desiderata fuerint, nihilo secius tamen animosi, & mascula virtute præditi pugnam acriùs instaurabant, militaria munera accuratissimè obibant, pudorem vlciscebantur, ad viuum quidem interfici, aut interficere volentes: adeò nimirum pugnæ cupidi erant. Quod si Appiani Alexandrini scriptis aliquid tribuamus, constat illos plus quàm ter centies ineundi prælij causa non sine multo sanguine olim coiisse. Certauit populus Romanus cum finitimis de principatu, cum Pyrrho rege Epirotarum de fama & gloria, cum Chartaginensibus de imperio, cum Gallis verò, vt Salustius ait, de vita semper. Annon hoc maximæ fortitudinis ac potentiæ indicium est pereuidens, quòd illi aliquando tanquam per præcones pacem vnicuique empturienti venalem proposuerint? Annon excelsæ authoritatis argumentum, quòd omnes meritis quibusdam studuerint sibi viam munire ad eorum amicitiã atque fauorem? Neque enim vllum quamuis potentissimum populum reperisses, qui præsidio Gallorum destitutus securum se satis credidisset. Nec vllum ferè principem legimus ἀντείνοντα τῇ πόλει καθυλίσθαι, nisi inita primùm, & confirmata cum Gallis amicitia. Nam tametsi Ptolemæus nimiùm de sua ipsius virtute præsumens, illos comtempsisse feratur, & Alexandri Magni genere tumidus ac ferociens, prima fronte à sua Macedonia vi armorum arcere voluisse, nedum impetui eorum resistere, nullo tamen negotio ab homi-

Gallorũ quãta vis, et fortitudo.

Quàm multoties pugna à Gallis comissa

Ptolemæus à Gallis superatus.

nibus alta, & generosa virtute conspicuis paulò post superatum se vidit. Defuncto autem Ptolemæo Sosthenes eius successor cristas attollere incipiens, paratis quanta potuit diligentia commeatibus, & instructo valido exercitu, existimauit perfacile sibi futurum vt abalienatas à regno Macedonico vrbes non tantùm in suam ipsius potestatem redigeret, sed etiam aduersus fulminantẽ Gallorum impetum tueretur, cùm tamen nullo pacto comminantem atque aduentantem Brenni exercitum sustinere potuerit. Ex iis quis nisi parum admodum oculatus non intuetur, quantùm armis ac robore valuerit Celtica natio? Proinde meritò T. Liuius auidas armorum Gallicas gentes semper fuisse dicit. Quod vt magis confirmet, alio quodam loco accolas Gallos ait inter ferrum & arma natos, feroces cùm suopte ingenio, tum aduersus Romanũ populum, quem captum à se, auróque redemptum haud vana iactantes memorent. Quid, quòd nostros illos maiores nulla vnquam μικροψυχίας macula deturpatos, quinquies ante Chartaginensium sub Annibale duce in Italiam aduentum, Alpium asperitate perdomita, in transpadanas regiones non sine magna tam Italorum quàm Italicarum rerum iactura irrupisse veterum annalibus compertum est. Quod pluribus olim docuit vir eruditissimus Rauisius Textor in quadam oratione de principatu regni Gallici, & Romani imperij. Quo fit, vt perspecta virtute Celtica, quæ procul dubio tanta est, vt nullius omnino, licet peritissimi scriptoris eloquio perstringi posse credã, scitè admodum de Gallis ita scribat Mantuanus:

Sosthenes facilè se à Gallis superari sinit

Is est Brenn⁹, quem Prausum authores Græci appellarunt. vnde Strabo lib. 4. πραῦσον, inquit, λέγεις φασίν.

Quinquies Galli ante Hannibalis aduentũ Alpiũ iuga penetrarant.

» *Gallia fert acres animos, & idonea bello*

Inuictā Gallorum animi magnitudinē eorumq; fortia facta paucis versib⁹ sciтè admodum perstrĩgit Mātuanus poëta.

„ Corpora: non illis ausit componere sese
„ Thracia, quæ Martem genuit: non Parthia versis
„ Quæ bellatur equis fugiens, licet inclyta Crasso
„ Facta sit extincto, signísque superba Latinis.
„ Quas gentes olim non contriuere? per omnem
„ Inuecti Europam, quasi grando Aquilone vel Austro
„ Importata graui passim sonuere tumultu.
„ Scit Romanus adhuc, & quam Tarpeia videtis
„ Arx attollentem caput illo in monte superbum.
„ Pannones, Aemathij norunt, scit Delphica rupes,
„ Quæ nisi terrificis subitò conuulsa ruinis
„ Oppressisset eos, non defendisset Apollo
„ Confecta argento templi sacraria, & auro.
„ Intrauêre Asiæ fines: prope litora Ponti
„ In gentem creuêre nouam, quæ tenditur vsque
„ Ad iuga Pamphilûm, Garamantica sydera contra
„ Inter Cappadoces posita, & Bythinica regna.
„ Et paulò pòst,   -Seruire, iugúmque
„ Ferre negant. Itémque,
„ Bellandi vsu lætantur, equorum
„ Terga fatigantes: loricæ, hastilia, & arcus,
„ Delitiæ genti: sub dio ad sydera summum
„ Carpere, fuscari sole, & ferrugine pulchrum est:
„ Puluere conspergi, grauibus sudare sub armis,
„ Pro patria, pro cognatis, pro regibus ire
„ In pugnam & gladios, occumbere, dulce est.

Videant hîc recentiores isti, si qui adhuc hodie supersint obtrectatores, quantum habeat laudum Gallia, quod ad bellicam gloriam attinet. Non fuit adeò Gallici nominis

G. ij.

osor Italus ille, quin multis, atque illis quidem amplissimis carminibus nostros existimarit celebrandos, & dignis laudum titulis longa narratione efferendos. Sed neque tacendum est, quòd maiores nostri Italiam multis & maximis, iisque cultissimis vrbibus condecorarunt. Nam & Veronam ab eis extructam memoriæ datum est, & Senas, & pleraque Vmbrorũ atque Longobardiæ (vnde & eam non alio appellarunt nomine Romani quàm Galliam Cisalpinam) oppida, ipsum denique Mediolanum.

Multa vrbes à Gallis ĩ Italia condita fuerunt.

Verona, quæ & Brēnona.

Senæ.

Vmbriæ & Longobardiæ oppida.

Mediolanũ.

» Galli enim, vt ostēdit Liuius libro quinto decadis primæ, » per Taurinos, saltúsque Iuliæ Alpis primùm transcen- » derunt: deindéque fusis acie Thuscis haud procul Tici- » no fluuio, cùm, in quo consederant, agrum Insubrium ap- » pellari audissent cognominem Insubribus, pago Heduo- » rum, omen sequentes loci, condidere vrbem quam Me- » diolanum appellarunt, nimirum à nomine relicti ab eis in » Gallia (vt putat Volaterranus) Mediolani. Quod & à Ptolemæo confirmatum videri potest, qui Mediolanum oppidum in Gallia Lugdunensi reponit, inter Ligerim & Sequanam fluuios. Quanquam sunt multi (inter quos Ambrosius) qui à sue dimidia parte lanata huius nomenclaturæ causam profectam arbitrentur. In qua etiam sententia videtur fuisse Sidonius Apollinaris. Sed quocunque modo sese res habeat, hoc tamen firmum, certúmque nobis omnium annalibus atque antiquitatibus relinquitur nostros huiusce vrbis auctores fuisse, & constructores.

Mediolanum in Gallia Lugdunensi.

Hinc Andræam Alciatum Mediolanensem, maximum eorum qui nostro tempore claruerunt, præcipuúmque iuris lumen, & inter omnes, qui recentissimè suppullularant,

Andræas Alciatus.

literarum meliorum proceres, si non primum, at ne postremùm quidem, cuius authoritas vnico eruditionis nomine haud parum semper apud me valuit, nihil puduit Biturigibus & Heduis patriæ suæ prima concedere cunabula. Quod non minus apertè, quàm eleganter emblemate quodam sic indicauit,

„ *Bituricis veruex, Heduis dat sucula signum:*
„ *His populis patriæ debita origo meæ est.*
„ *Quam Mediolanum sacram dixêre puellæ*
„ *Terram: nam vetus hoc Gallica lingua sonat.*
„ *Culta Minerua fuit, nunc est vbi numine Tecla*
„ *Mutato matris virginis ante domum.*
„ *Laniger hinc signum sus est, animálque biforme*
„ *Acribus hinc setis, lanitio inde venit.*

Aquileïam quoque Carnorum metropolin, quæ ad Timauum sita est, à nostris ædificatam non inficiatur Liuius. Aquileia. *Quin & bonam partem antiquißimarum penè omnium, quæ hodie Venetorũ dominatui subiacent, vrbium, à Gallis constructam fuisse & habitatam, adeò vt quondam tota illa regio nihil nisi Gallicũ suboleret, omnibus in confesso est. Vnde Polybius libro secundo affirmat sui temporis Gallos ac Venetos & moribus, & cultu, & vitæ ratione omnino conformes fuisse.* Veneti. *Polybij verba Latinè reddita sic habent:* „ *Veneti neque moribus, neque ornatu cor-* „ *poris: sed tantummodo lingua à Gallis differũt. Et quanquam Venetos post bellum Troianum cum Antenore salutem assequutos cursum illuc è Paphlagonia primùm tenuisse multi existimarint, verior tamen alia opinio censenda est, cuius meminit Strabo libro quinto, eos videlicet*

[*Veneti primùm ex Gallis orti.*] *à Gallorum populis eiusdem appellationis (de quibus Cæ-
sar in commentariis) Oceani accolis profectos: quandoqui-
dem idipsum, teste eodem Strabone, nonnulli ex antiquis
auctoribus memoriæ prodiderunt. Vnde libro quarto id
» ipsum asseuerantius exprimens, Hos ego, inquit, Ve-
» netos esse opinor, à quibus Veneti sinum colentes Adriati-
» cum in coloniam deducti sunt. Præterea Iacobus à Ber-*
[*Patauium à Gallis extructum.*] *gamo in supplemento Chronicorum, Gallos ait Patauiũ,*
[*Cremona. Placentia. Nouara. Comum. Verona. Bergomum. Brixia. Tridentum. Vincentia.*] *Cremonam, Placentiam, Nouaram, Comum, Veronam,
Bergomum, Brixiam, Tridentum, Vincentiam, aliásque
non paucas vrbes construxisse. Quod & Iustinus libro
vicesimo asserit, ibidem etiam ostendens quemadmodum
Thuscos sedibus Galli expulerint, & ad Alpes, vbi Rhe-
tiorum gentem nomine sui ducis condiderunt, auitis do-
mibus amissis confugere illos coëgerint. Et Ptolemæus lib.*
[*Thusci à Gallis pulsi.*] *3. suæ Cosmographiæ multas Italiæ vrbes describit ac me-*
[*Rhetiorũ gentis initium.*] *morat, quæ suo adhuc tempore Gallicæ appellationis ma-
nifestissimam retinebant originem: vt Senam Gallicam,*
[*Sena Gallica, hodie Ciuitas vetus.*] *quæ hodie Ciuitas Vetus dicitur, & Galliã Boiam, quam*
[*Gallia Boia seu Romãdiola.*] *nunc Romandiolam, nunc Flaminiam Blondus, aliíque
Chorographi nominant, atque alias id genus nonnullas.
Idémq; alio loco Marchiã, quam nunc Taruisinã vocant,*
[*Marchia Taruisina Carnutum patria.*] *Carnutũ patriam (quòd eam per multos annos Carnutes
nostri tenuerint) esse dicit. Vocat & Cenomaniã partẽ illã*
[*Cenomania.*] *quæ hodie ab omnibus Lombardia seu Lõgobardia dicitur,
quòd diutissimè à Cenomanis Celtarũ populis possessa fue-
rit, vt qui annos nõ paucos Mediolani, Brixiæ, & Vero-*
[*ἀνλίεγνον seu Alençon*] *næ consederint. Atque inter hos oppidũ, quod ἀνλίεγνον ap-
pellat, nostri verò Alençon, collocat. Ab hoc non dissen-*

tit Plinius, qui libro tertio, Cenomanos Galliæ Cisalpinæ populos commemorat. Qui & alio loco ciuitatem nomine Laudam à Gallis ædificatam ostendit. His addendæ sunt Ligurum ciuitates ad maris mediterranei litora sitæ, vt sunt Genua & Nicæa, quarũ illam extruxerunt Allobroges, hæc verò Maßiliensium colonia fuit, quemadmodum authores Strabo & Volaterranus, aliique prodiderunt. Longißimum esset alias omnes vrbes numero cõplecti, quæ in ipsa Italia & à Maßiliensibus conditæ sunt: & à Menapijs, seu Gueldrensibus: & à Saliis, qui inter Ligures connumerantur: & à Senonibus, qui maiorem Burgundiæ partem secũ olim trahebant: & à Boiis, quos Heluetiis finitimos facit Strabo, vt nimirum eo nomine intelligendi sint Borbonij, tametsi Iulius Capitolinus in vita Antonini Cæsaris cognomento Pij, videatur eos in Gallia Narbonensi reponere: & à Tungris siue Brabantinis: & à Biducensibus Nortmaniæ populis: qui aliter & Neustrij, & Vuestrij, vt vult Conradus Petingerus, dicti sunt: & ab Aulericis: & ab Andibus: & à Sequanis. Quos quidem omnes populos in Italicis regionibus maxima frequentia consedisse, literaria veterum monimenta non loquuntur tantùm, verùm etiam personant, & affirmant: consedisse, inquam, non vt Italici honoris, aut dignitatis hostes (quod de Longobardis illis aduentitiis prodidit Blondus Flauius) sed potius & hominum, & vrbiũ restauratores, necnon tyrannorum, quorum iugũ singulis ferè annis magno sui dedecore recipiebat Italia, & oppressorum expulsores, ac demolitores. Quare nemini obuium non est Italos hoc ipso nomine nobis tantum

Cenomani in Italia.

Landa.

Genua ab Allobrogib. condita.

Nicæa Maßiliensium colonia.

Quàm multi Gallorum populi olim in Italia consederint.

debere, quantũ persoluere sit difficile. Sed quædam adhuc egregia nostrorum facinora, & ea maximè quæ non in perniciem, sed in rem ipsorum Italorum suscepta sunt, obiter hîc ante oculos ponamus, vt saltem constet Gallos nihil minus quàm eorum ruinam (quod plerisque aliter existimatum est) sitiisse, quin potius adeò fauisse, vt subactas illorum vrbes non semel cum hasta & clypeo ad libertatem & pileum vocauerint. Quid enim conniuemus oppressam à Gothis Italiam Merouei Gallorum regis (quum iam res Italorum ad Triarios redactæ viderentur) subsidio fuisse liberatam? Quid Clodouæi virtutem obtegimus aut reticemus, qui patricij, & perpetui Consulis, atque Augusti nomen Anastasii imperatoris iudicio tulit? Sed hoc etiam memorabile, quòd Alarici in Aquitania dominantis copias trucidauit, & solus cum solo congrediens, deiectum in terram Gothum Alaricum, qui iam annos duodecim tyrannide regnum occupauerat, interfecit. Mirantur Romani suum Scipionem Africanum cum opimis Chartaginensium spoliis redeuntem, nos Caroli Martelli virtutem suspicimus. Cuius auspiciis tres potentissimi Hispanorum, Aphrorúmque reges, Amorrhæus, Athinius, & Abdiramus occubuère: qui duobus præliis quingenta & septuaginta vtriusque gentis millia animose sustulit: qui Visigothorum gẽtem Italiæ dira comminãtem funditus deleuit ac perdidit: qui Germaniam subegit, eique tributum imposuit: qui denique (quod nequaquam silendum est) Auenionem natura & arte, ducentorum insuper millium Sarrasenorum præsidio munitissimam ab ortu Solis ad occasum vsque (mirabile dictu) fortiter op-

Galli Italiæ libertatem defendere parati.

Merouę̃ Italiam liberauit.

Clodouæi egregia facinora.

Alaric' Gothus trucidatus.

Caroli Martelli fortitudo.

Auenio à Sarrasenis detenta liberatur.

pugnauit. Cuius filius Pipinus virtutis paternæ imitator, Italiam Barbarorum iugum iterum recipiẽtem ab Astulphi tyrannide prorsus liberauit. Stephanum pontificem Romanum extorrem, semel atque iterum sedi ac pristinæ dignitati restituit. Alanos in Aquitania subiugauit. Ferocissimos Germaniæ populos Phrygios, Sueuos, & Hungaros mira fœlicitate subegit. Carolum verò illum, cui à rerum gestarum magnitudine Magno cognomẽ fuit, Cæsari, militaris disciplinæ peritia, parem fuisse, atque adeò maiorẽ haud immeritò contendimus, nisi ꝙ fortasse noster ille nec vim patriæ intulerit, nec imperiũ tyrannicis armis inuaserit. Longobardorum & ab Aquilone profectorum populorum (qui pluribus iam annis in Italia consederant) euertit hic regnum ac dominatum. Hunnorum imperium destruxit: Adrianum, & Leonem Romanos pontifices, hunc exulantẽ, illum obsessum in integrum restituit: Angliam recepit: Bauariã perdomuit: totam deuicit ac subiugauit Hispaniam: Italiam possedit: Dacorum coërcuit impietatem: contudit & fregit impetum Bohemorum: Illyricorum feros, penéque indomitos animos retinuit & compescuit: Saxones, quibus veræ religionis cultus nondum innotuerat, Christo audientes reddidit: è Corsica Mauros, Sardinia Pœnos, & Balearibus Sarracenos exegit, profligauit, perdidit: Fluentinorũ vrbẽ (quæ nunc Florentia dicitur) ruderibus obrutam instaurauit. Themistocli primũ fortitudinis locũ Græcæ tribuunt historiæ: verùm hunc nemo sanæ mentis Godofredo Bullonio Lotharingiæ duci parem dixerit, qui cum duabus, iisdémque imperfectis legionibus quinquaginta Ae-

Pipini fortitudo quanta.

Caroli magni virtus, et fortia facta.

Fluentia hodie Florẽtia.

gyptiorum millia, cæsis plus quàm millibus triginta, cum Abdela eorum duce inaudita fortitudine profligauit. Denique, vt paucis multa comprehendam, hic nullis aliis quàm Gallicis septus ducibus, cæsis Turcarum, Aegyptiorum, Babyloniorum, Persarum, Arabum, plus minùs centies tricies nonaginta millibus, Mesopotamiam, totámque Palæstinam cum Hierosolymis ab impiorum durissima seruitute liberauit. Fuit & alter nobis Godofredus cognomento Dentatus, qui persæpe Græciam deuictis barbarorum numerosis exercitibus in libertatem asseruit. Damascenum quoque Solthanum septuaginta hominũ millibus egregiè stipatũ herbam porrigere coëgit. Ioppen, & Baruchum maritimas Iudææ vrbes post maximam Sarracenorum stragem euertit, & Galophrinum truculentissimum Aegypti regem, Christianorum mastiga, inter præliandũ propria manu trucidauit. Postremò formidolosum omnibus gigantem Grimoldum memorabili duello præter omnium expectationem confecit: ac deinde variis in locis superatum Austriæ ducem cum multis aliis Germaniæ regulis captiuum abduxit. Balduinum penè omiseram Godofredi Bollonij (de quo paulò antè) fratrem, qui Bizantino potitus imperio, Achaïam, Peloponnesum, Euboïam, Mysiam, Thraciam, Thessaliam, Cyprum, Pontum, Sarmatiam, atque alias aliquot prouincias suis opibus fæliciter, nec tamen sine sanguine adiunxit. Præterea Gazini minoris Asiæ ducem Hierosolymas infesto agmine petentem aperto Marte superauit, in fugam compulit, cepit, captúmque in vincula coniecit. Damascenum Gothanum quater collatis signis in fugam

Godofredus Dentatus.

Grimoldus gigas duello victus.

Balduinus.

compulit. Borsequinum Turcarũ principem multis cladibus afflictum ad suos sese recipere coëgit. Multa Aegyptiorum millia ad muros Ascaloniæ cecidit. Subactis Athenis, Sparta, totáque Macedonia, tandem Borsetum Comagenum regem in valle Ramorum fudit. Quis quæso huiusmodi viris aut Cæsar, aut Scipio, aut Hannibal, aut Pyrrhus, aut Darius iure conferetur? Nónne hæc, quæ breui hîc oratione perstringimus, si aptè describerentur, & longo verborum circuitu ad Græcarum, siue etiam Latinarum historiarum imitationem commemorarentur, in multos, atque immensos libros assurgerent? Proinde Frãciscus Philelphus eorũ qui suo tempore claruerunt Italorum, si quid iudico, elegantissimus, in quadam ad Carolum septimum Francorum regem epistola, verè hoc scriptum reliquit: Si, inquit, verum sine cuiusquam inuidia fateri licet, postea quàm impia & immanis illa Mahometi secta inualuit, nullum est vnquã hominum genus cui plus debeat Christiana religio, quàm inuictæ Francorum, nobilissimæque virtuti. Cum enim reliqui ferè omnes & reges, & populi Christiani ignauo quodam animi torpore tanquam elanguissent, soli Franci inuenti sunt, qui ingenti animo & excelso omnem barbarorum & infidelium impetum non modò sustinuerint, sed represserint: quid, inquam, represserint? imò fuderint, fugarint, oppresserint. Multa alia eodem loco de nostrorum virtute profert, eos hoc maximè laudans, quòd disciplinæ militaris, qua maximopere excelluerunt, scientia, Christianã religionem latiùs propagauerint, eiúsque hostes coërcuerint. Quòd si ad alios, qui recentioribus apud

nos claruere seculis, deueniendum foret, infinitos profectò superioribus annis insigni fortitudine, multáque rerum omnium quæ ad artem militarem pertinent, cognitione præditos duces, eósque nusquam non animosos habuit Gallia, quorum nomina hoc loco, ne longior quàm par sit sumatur oratio, supprimenda sunt. Quàm multi etiam hodie è nostris in Italia, totáque penè Europa visuntur strenui bellatores, quorum laudibus referendis exilis sum ingenio, nec mihi orationis vbertas ad exprimenda quæ de inuictißima eorum fortitudine, animíque iuxtà ac virium præstantia apud me sentio, sufficit: nec ora mille, linguæque totidem, nec certè indefeßi sermonis series. Neque tamen, etiamsi reliquos tacitō silentio prætereamus, reticendi sunt duo nostræ tēpestatis reges, seu potius duo tremenda belli fulmina, Franciscus Valesius, eiúsque filius Henricus secundus. Quorum hic acceßione virium in dies fortior factus, Terapnen, aut, si mauis, Corsicam è Ligurum manibus, atque adeò inuito Cæsare, eripuit. Subalpinam regionem capta Alba, Buscha, Casali, Curtismillio, Seua, Cherio, Sancto Damiano, Eporedia, Vulpiano, aliisque plurimis vrbibus sub auspiciis Caroli Brisacchi Gallorum Polemarchi, & Alpini limitis præfecti felicißimè suo adiunxit imperio. Parmam & Mirandulam ferè per biennium ab exercitu Cæsaris, atque pontificis Romani Iulij tertij tutatus est. Mediomatricum vrbem non tantùm inuasit, sed etiam aduersus centum hominum millia à Cæsare illuc perducta fortißimè defendit, & alias plerásque vrbes natura & arte munitißimas, tam ducatui Luxemburgensi, quàm Rheno pro-

Francisc' Valesius quantùm admirādus.

Henricus secundus Frācisci filius.

ximas occupauit, tandémque eò Cæsarem deduxit, vt amissa ferè omni bellandi, & strategemata, in quibus tantopere superioribus annis excelluerat, excogitandi solertia, ad componendas induciarum conditiones libentissimè animum inflexerit. Ille verò (vt ad Franciscum redeamus) Hispanorum exercitum toties contriuit, tot Italiæ ciuitates sibi reddidit subditas, tantum vniuersæ Italorum genti terrorem incutiit, Heluetios ita sibi effecit morigeros, vt nemo non admiretur inuictam regis huius fortitudinem, eximiámque virtutem. Quam quia non ineleganter depinxit Petrus Gallandius in oratione funebri pro rege ipso habita, pluribus hoc loco persequi non est animus. Tantùm meminerint omnes quàm insuperabili semper animi magnitudine sese in bellicis negotiis habuerit. Cuius auspiciis Tornacum Gallis restituitur, & Fontarabia in confinio Galliæ & Hispaniæ Gallorum cessit imperio. Quid quòd hostem toties prælis lacessiuit apud Belgas, Neapolin, Mediolanum, Cirisollas, atque alibi? Omitto quòd semper apud illū literæ meliores sua habuerint gynæcia, sua præclaræ artes penetralia, sua & Musæ ipsæ conuenticula, sempérque ita doctissimo, & honestissimo cuique patentia fuerint illius triclinia, thesauri, opes fauores, vt ne Mecœnas quidem ille Romanus Horatio vnquam fauentior fuerit, nec Messala Catullo, nec Pollio Maroni, nec Philippus Aristoteli, nec Borsius Ferrariensium Princeps T. Strotio Poëtæ Florentino, ac Ioanni Aurispæ, nec Marcellus Archimedi philosopho (quem captis Syracusis illæsum superesse voluit) nec Dionysius Syracusanus Heliconi Ciziceno (quem talento donauit,

Hominum eruditorū Mecœnates.

Lysandri in Antilochū liberalitas. *quòd Solis deliquium certißimè prædixisset) nec Lysander Lacedæmoniorum imperator Antilocho Poëtæ (cuius pileum ob paucos versiculos argento impleuisse dicitur) denique nec alius quispiam alij, quàm sua cultores literarũ diligentißima beneficentia iuuerit noster ille Franciscus, magnificis salariis eruditißimos quosque disciplinarũ omnium professores inuitans. Quantum à nostris hodie suspiciatur non explico, hoc tamen dicere ausim nullum in tota esse Italia quantumlibet angustißimum angulũ, qui inauditam, penéque incredibilem regis huius magnitudinem non personet, nullum adeò Gallici nominis osorem, qui non maximo cum honoris titulo, quoties mentio de illo incidit, eloquatur. Huius nomen Italis admirationi semper fuit, Hispanis terrori, Germanis venerationi, Gallis maximæ gloriæ, atque ornamento. Non minoris fortasse virtutis quòd ad rei militaris gloriam attinet, iudicabitur*

Ludouicus duodecimus. *qui hunc præceßit Ludouicus duodecimus: quem tantam illis qui rebelles fuerant, cladem Italis intulisse compertũ est, vt neminem multis antè annis nec maiorem, nec seueriorem. Mediolanum præterea cum plerisque aliis Insubriæ, licet munitißimis vrbibus, è manibus hostium eripuit: multa tam Italorum quàm aliorum aliquot externorum agmina contra se prodeuntia strenuè profligauit. Cremonam perditorum hominum tyrannide occupatam Venetis restituendam curauit, cùm eam alioqui suo ipsius adiungere imperio haudquaquam fuisset illi difficile. Denique validum, ac veluti fulminãtem pontificis Iulij secundi exercitum prope Rauennam animosè sustinuit, fregit, fudit, peremit. Nec legimus vllam aliam pugnam sub hæc*

ipsa tempora fuisse perinde grauem, aut in qua vtrinque tantis viribus fuerit decertatum. Quid Caroli octaui cognomento Gibbosi, & Lodouici vndecimi fortia facta reticemus? Quorum hic quidem maximo Italis terrori fuit, licet in eos magis se beneficium & humanum præbuerit, quàm dirum exequutorem, vel, quòd à multis expectabatur, patriæ libertatis oppressorem. Ille verò traducto mirabili fiducia per mediam Italiam exercitu, cedētibus omnino hostibus, Neapolin occupauit, & nullā Italiæ partem suæ virtutis admiratione non impleuit. Quid hîc inuicta Caroli septimi facinora supprimimus? Cuius auspicijs perductus est in Halsatiam Gallorum exercitus, qui per Germaniam latè diffusus Basileam vsque peruenit nō sine magna & horribili clade Germanorum. Ecce quò iam rapior, qui imprudens ad ea quæ à nostris in Germania gesta sunt transuolo, ipsa interim quæ illi in Italia reportarunt gloriosissima trophæa relinquens. Verùm ineptus ego, qui ea me commemoraturū innuere videar, cùm ne ipsam quidem Demosthenis aut Ciceronis licet efficacissimam dicendi vbertatem ad id sufficere posse, affluēte nimirum vndique rerum præclarè gestarum magnitudine, in aperto sit. Cur igitur nobis detrahitur ab externis? Cur vellicatur nominis nostri decus? Cur semidoctuli habemur, quasi inscitiæ vincula nondum soluerimus? Cur bellicæ fortitudinis gloria à nescio quibus rabulis nobis præripitur? Cur obijcitur ab eis Gallicæ nationi barbaries? Imò cur non potius Gallorum amplissima & multiiuga virtus extollitur, & excelsi eorum animi magnitudo? Habemus admirandos & incredibiles virtutum omniū titulos, qui si

Carolus eo nomine octauus.

Ludouic' vndecimus.

Carolus septimus.

Romanis contigissent, dij boni, quantas verborum ampullas, quot inanes efflauissent glorias, cùm videamus illos vnico Camillo, duobus Deciis, paucis Fabiis, Scipionibus, Curiis, Horatijs, Attilio, Coclite, Curtio, atque alijs aliquot ita efferri, vt deos magis quàm mortales se prædicent. Laborauit hoc etiam morbo Græcia, quæ suas historias literis mandare non satis esse credidit, nisi intermixtis vbique mendaciis posteritati adeò fabulosas fecisset, vt permultæ fidem authoribus suis postea derogauerint, eósque Mythologicos potius quàm historicos fecerint appellari. Nam (vt vnum è multis producam) quòd Xerxes ex vniuerso Oriente tot tantásque contraxerit myriadas, vt Græcia omnis vix eius exercitum capere potuerit, naues quoque decies centum millia numero habuerit, Soli tenebras multitudine iaculorum induxerit, iniecerit Neptuno compedes, eius equis fluuius vnus in potu non satisfecerit, sed multi ab eius exercitu siccati fuerint, montes in planum fiduciā virium & veluti naturæ Dominus deduxerit, conuexáque vallium æquauerit, quædam maria pōtibus admirabilibus strauerit, quædam verò ad nauigationis commodum per compendium duxerit, tantam Leonides cum paucissimis Spartanis, hominum stragem fecerit, equa in exercitu leporem pepererit: quis non videt hæc adeò factu difficilia esse, vt fieri non posse, magis quàm facta fuisse credātur? Has inanes glorias si captaret Gallia, non solùm rerum vbertate omnibus aliis locis posset contendere, sed multò plura apertissima quidem veritate posset iactare, ac sine vllis figmentis victoriam præripere. Quàm latus sese extenderet campus, si quis fulminātium

Mira Græcorū cōmenta. *Xerxes.* *Leonides.*

Brenno duce Senonum res gestas historia vellet comprehendere: quorum fulgurantem impetum haud priùs retuderunt Romani, quàm Romam omnia populantes intrauerint. Quàm longißimæ & amplißimæ fierent annales, si quis ad vnguem Gallorum illorum facta describat, qui in Græciam, totámque penè Asiam nihil non ferro proterentes inuolarunt. Qualia in rebus bellicis encomia cõsequemur, qui, vt de nobis annotauit Aristoteles capite septimo libri tertij Ethicorum, μηδὲν φοβοίμεθα, μήτε σεισμὸν μήτε τὰ κύματα, *hoc est, nihil omnino metuamus, neque terræ succußiones, atque motus, neque etiam fluctus! Quibus libris comprehendi poterunt, aut qualibus scriptoribus depingi tot nostrorum diuersis in locis commissæ pugnæ, tot trophæa, tot fortia facta? Propterea quum paulò altius interdũ apud me diuagatur animus, causásque inuestigat ac rationes propter quas nonnullæ nationes Gallicam gentem vel contemnant, vel indefessa æmulatione insectentur, perplexo & ancipiti, omnémque rimam perquirenti, talis quædã ratio suboritur: Gallis nostris nescio quid sublime atque suspiciendũ naturaliter insitũ esse: eorũ præstãtiam, claritatẽ, factáque heroïca aliis inferioribus, & nullo rerũ præclarè gestarũ, si cum nostris conferãtur, ornamento relucentibus scrupulũ iniicere, inuidiáque veluti fomentũ quoddã suggerere, præsertim cùm nõ raro contingat, vt quemadmodũ corpus vmbra, sic gloriæ splendorẽ inuidia comitetur. Sed valeãt inuidi, ac maleuoli cum suis ineptissimis calũniis. Facessant cum suis strophis nimiùm obliquis. Neque enim huiusmodi æmulationibus quantumuis multis aut lædi, aut opprimi vnquam poterit nominis nostri*

fama & integritas, non aliter quàm palmam videmus, etiamſi dedita opera ingentem lignorum ſtruem ſuperimponas, grauißiméque vrgeas, nunquam tamen ponderis grauitati cedere, ſed ſemper aduerſum pondus ipſum miro naturæ ingenio reſurgere ac ſurſum niti. Sed nos, ni fallor, hactenus ſatis longo verborum circuitu quantùm literarum iuxtà ac armorum ſcientia noſtri valeant, aperuimus: quibus duabus diſciplinis atque illis quidem ſolis cùm generis claritatem, nataliúmque ſplendorem acquiri, & præterea feritatē omnem, barbariémque, ſi qua priùs in hominibus extiterit, illarum ipſarum beneficio diſpelli & exui nemo non concedat: Gallos nihil minus eſſe quàm barbaros eliciendum eſt, quin potius iam à multa ſeculorum memoria non parua cultiorum morum præſtantia & honeſtate (quam à melioribus literis vix ſeparari poſſe reor) compoſitos, nedum ab omni tam obſcuritatis quàm barbariei nota, prælucente nimirum in eis cuiuſuis ſplendoris luce & claritate, procul remotos.

FINIS.

Errata ſic corrige.

Folio 3. verſiculo 20. lege incautioribus. 8. vlt. excuſandos. 9. 22. portentoſæ. 23. 16. ἀνέργαστοι καὶ ἀνεπίγραφοι, *proparoxit. 26. 26. Eleates, in margine. 37. 25. artibus, in margine. 47. 2. prærepturus. 66. 24. vſitato. 77. vlt. ad M. Brutum. 78. 3. incitatius. 83. 20. quem excußit, in margine. 91. antep. factitatum. 92. 13. irrupit, ibidémque conſedit. 98. 21. Gallicam. 102. 19. Tuyſcone. 124. 9. ſubdialia intelliguntur. 138. 11. catalogus. 140. 14.* βούλημα. *154. 21. heluo. 185. 10. Italica, in margine. 216. 25. ſuffundantur.*

In fine epiſtolæ, lege Diophane non Dipohane.

A

Abellina ꝑ auellana antiquis 183.
Aboriginum prima sedes vbinam fuerit 22.
Aborigines in Gallia primum visi 224.
Aborigines, Gallorum veterum soboles 223.224.
Abrahamus, multiscius 56.
Academia Parisiensis 216.217.
Academias multas in Gallia erexerat Saro 48.188.
Achaiam Galli occuparunt 93.
Aduatici ex Cymbris prognati 158.
Aegidius Scudus 163.
Aegyptij geometriae authores crediti 27. & *astrologiae* 30.
Aegyptiorũ sacerdotes instructi 16.
Aeria oppidum 126.
Aeschylus tragædiographus 33.
Aesculapius medicus 34.
Aethiopes primi literas illustrasse crediti 22.
Agatha oppidum 126
Agathyrsi in Gallia cõsederunt 160.
Agaue tragœdia 205.
Alaricus à Clodoueo trucidatus 240.
Alauda, Gallica vox 170.
Alemani vnde id nominis habuerint 228.
Alexamenes dialogorum scriptor 33.
Alexia vnde dicta 127.
Alexicacus Hercules cur dictus ib.
Allobroges vnde dicti 126.
Alseti etymon 158.
Aluola antiqua Gallorũ dictio 173.
Ambiani in Gallia cõsederunt 107.
Ambigatus Gallorum rex 91.
Amphion Musices author existimatus 26. & *Lyrici carminis* 32.
Anas fluuius à Gallis olim possessus 229.
Anaximander Milesius sphaera constructor 29.
Androdamus Rheginus legislator 35.
Animarum immortalitatem credidere veteres Galli 53.54.
Αντίοβκον *oppidum* 238.
Antiochus Hierax Gallorum beneficio regno restitutus 95.
Antipolis oppidum 126.
Anubis Aegyptius literas dedisse fertur 22.
Aphrodisium oppidum 126.
Apis medicinae author creditus à veteribus 34.
Apollo eo nomine quartus nomotheta 35.
Apollo medicinae author 34.
Aquileia à Gallis extructa 237.
Ara Lugdunensis 177.
Arar vnde dicatur 128.
Arcades literas in Italiam attulisse dicti 22.
Arcadum populi Musicam inuenisse crediti 26.
Archilochus Iambicorũ scriptor 33.
Archimedes Sphaerae author existimatus 28.
Arepennis veterum Gallorum vocabulum 168.
Arinca prisca Gallorũ dictio 169.
Arion Lyrici carminis inuentor creditus 32. & *variorũ hymnorũ* 33.
Ariouistus Gallicum sermonem didicerat 172.
Aristotelis de Roma à Senonibus capienda vaticinium 132.
Arithmeticen qui primi excogitarint 27

Armis ac literis generis claritas conciliatur 196.
Armorum ac literarum maximam esse conuenientiam 109 110.
Asia minor quondam à Gallis occupata 89.33.
Asia quantũ sibi à Gallis timuerit 91
Asinus Apuley 184.
Aßyry astrologiam primùm inuenisse dicti 28.
Astrologia primi authores & celebratores 27.28.29.
Athenensium linguam an rectè putant fuisse αὐτόχθονα 135.
Atlas astrologia intentus 27. 28.
sphæra inuentor 29.
Atteius prætextatus 200.
Auenio à Saracenis occupata liberatur 240.
Auenio vnde dicatur 127.
Augustodunum 128.
Au guy lan næuf vnde 65.
Auitus Gallus quãtus vir 212.
Αὐλὴ *Græca vox in Gallico sermone retenta* 124.
Ausonius Burdegalensis 210, *Consul factus* 211.
Authorum variæ opiniones de artiũ inuẽtione 24.25. *& seq. pag.*

B

Babylony literarũ autores crediti 19
Balduinus Godofredi Bollony Fr. 242
Baptistæ py nimium vafra etymologia de Gallis 194.
Βάρβαρ, *absona vox, à qua barbari dicti* 191.
Barbari nomen quomodo vsurpari soleat 190.191.
Barbarus aliquando per contumeliam dicitur 192.
Barbari qui propriè dicendi sint 190.
Barbari nõ sunt Galli 192.193. *et* 194.
Βάκχαρις *seu* Βάκχαρ *Gallorum vocabulum* 132.
Bardus quid sonet 73.
Bardus iunior 72.
Bardus Musica & Poëseos inuentor 74.26.30.
Bardus Galliæ rex Dryi filius 72. 73. 26.
Bardi Gallorũ philosophi 38.72 75.
Bardocucullus Gallorũ vox, & quid sonet 169.
Bauo archidruis 61.
Beco, veterũ Gallorũ vocabulũ 170.
Bebryeia à Gallis occupata 93.
Belgæ plerique à Germanis orti 157.
Beliocanda prisca Gallorum vox 174.
Bellona cur Martis soror dicta 111.
Bellouesus 91.92.
Belus astrologiæ inuentor existimatus 28.
Bergomum à Gallis conditum 238.
Berosus chrysoglottus 74.
Beticam Galli tenuerunt 229.
Betilole prisca Gallorum dictio 174.
Betula Gallis tribuitur 175.
Bibliothecæ memorabiles 217.218.
Bilinuntia prisca Gallorũ dictio 174.
Bithynia à Gallis occupata 93.
Blittera oppidum Galliæ 126.
Bocehorus dynastes 35.
Bodincus Gallorum vox & maximè Ligurum 171.
Bohemi ex Boiis oriundi 157.
Boij in Heduis consederunt 160.
Borispeni 19.
Βοῦς *in Gallico sermone retentum est* 124.
Braca priscum Gallorum nomen 120.
Bracata Gallia vnde ibi.
Brance ad priscam Gallorum linguã pertinet 169.
Brennus Sosthenem vincit 234.

Brennus exercitus Gallici ductor 94.
Brennona seu Verona ibid.
Britãnia à Gallis olim subacta 228.
Britanni veteres in Galliam penetrauere 159.
Brixia à Gallis condita 238.
Bucolici carminis origo 33.
Budæi doctrina ac diligentia quanta 214.
Burgundia vnde dicatur 128.
Bybliotheca Septimana 23.

C

Cadmus Sextus 13.
Cadmus 20.23.*literas à Gallis habuit* 23.112.188.
Cadmi literæ 39.111.112.
Cæcilius Gallus 211.
Cæcilius comicus natione Gallus comœdiam nouam primus dedit 203.
C. Caligula literario certamine, quod Lugduni quotannis fiebat, mirè delectabatur 177.
C. Sidonius Apollinaris 211.
Calliope 21.31.
Camillus secũdus Romulus dictus 132.
Candetum Gallica vox 168.
Caracalla Gallorum dictio 170.
Carbidolupon prisca Gallorum vox. 174.
Carbilius Spurius literam, g, inuenit 22.
Cargali in Burgundia consederunt 158.
Cargali in Gallia consederunt ibid.
Carion reprehenditur 96.97.*& sequent. pag.*
Carmen quid interdũ sonet apud Ciceronem 76.
Carmentis seu Nicostrata Latinis literas præmonstrasse dicitur 225. 22.23.
Carnutum patria dicta est Marchia Taruisina 238.
Caroli magni virtus & fortia facta 241.
Caroli Martelli fortitudo 240.
Carolus octauus Gallorum rex 247.
Carolus septimus Gallorum rex. ibid.
Casmar quid sit 183.
Catamiti 7.
Catax quid sit 183.
Caterua Gallicum vocabulum 169.
Catonis de Græcis Vaticinium 15.
Celtæ vnde dicantur 102.
Celtæ Græcè loquuti sunt per multa annorum spatia 114. 115. *à claritate nomen habuerunt* 98. *eorum appellatione Germanos quandoque contineri* 97.
Celtarum eruditio quanta 219.
Celtarum nomen cum additamento multis populis commune 106.
Celtarum aut Gallorum nomine Germanos comprehendi non putat Rhenanus 101.
Celtarũ regio hominũ feracissima 90.
Celtiberi à Gallis profecti 106.
Celtorij 101.102.
Celtoscytha 106.
Cenomani in Longobardia consederunt, eámque Cenomaniam fecerunt appellari 238.239.
Ceres Θεσμοφόρος 35.
Chaldæi literarum authores crediti 18.*legislatores* 35.
Charmidas Massiliensis philosophus 207.
Charondas Thurius 35.
χελιδόνιον *ad Gallicam linguã pertinet.* 130.
Chiron Centaurus astrologiam inuenisse creditus 28. *& Lyricum carmen* 32. *& medicinam* 34.
Cicero prætor Gniphonem habuit præceptorem 200.201.

Cilicā dicere malebāt veteres quàm Cilissam 225.
Claudius Centimanus literam, r, inuenit. 22.
Clodoueus perpetuus consul, & Augustus dictus 240. Alaricum vincit ibidem.
Columnæ filiorum Sethi 37.
Comerus Gallus 58.
Couinus prisca Gallorum vox 164.
Comœdia à quibus inuenta 32.
Comum à Gallis conditum 138.
Corax Siculus Rhetor 25.
Corgo quid sit 182.
Crates Mallotes Grammaticā Romanis dedit 24.
Cecrops à nōnullis literarum author creditus 21.
Cremona à Gallis condita 238.
Cretenses Musicæ dediti 26.
Crinas Massiliensis philosoph. 207.
Crispus Cæsar in Gallia eductus 179.
Ctesias rhetor 25.
Cymbri Galliam occupauerunt 157.
Cymbrorū cum Romanis pugnæ 157.

D

Daphnis pastor Bucolici carminis author creditus 33.
Dardanus Samothrax quo tempore Troiam condidit 112.
Dauidis pœmata qualia 31.
Decius Ausonius, Gallus 210. Consul factus 211.
Delphici heroicum carmen inuenisse crediti 31.32.
Descapedinare quid sit 184.
Descobinatus quid sit 183.
Deuteronomium ab Hebræis carmine scriptum 31.
Dialectices authores quinam existimati 26.
Dialogos quis introduxit 33.
Diogenes Laertius reprehensus 55.
Dionysius Musices author creditus 26.
Dis qui & Samothes 36.52.54.65. in Gallia sceptrum tenuit 38.
Dithyrambus Thebanus. 33.
Diuitiacus Heduus Dumnorigis frater ex Druidum familia ortus 70.
Dorienses Commœdia & Tragœdiæ inuentum sibi adscribunt 32.
Draco & Solon 35.
Druides 58.38.62. fuere legislatores 35.
Druides vbinam potissimum habitasse dicātur 62. horū religio 63.64. Ceremoniæ & viscus 64. θεογνώσις 67. Qua magica 68. sacra immanissima 68.71.69. Sublata eorum religio ab imperatoribus Romanis 69. sacra & ciuilia instituta carmine Græco ab his descripta ibidē. eloquentia ab eis plurimùm culta 70. de medicina, variisque disciplinis multa philosophati. ibi. summi fuere medici 130.175.176.
Druidarum literæ quanto in precio fuerunt 60.
Δρῦς, quid sonet 59.
Dryius Gallorum rex 58.59.46.
Dubenus quid sit 183.
Ducone priscorū Gallorū dictio 174.
Dunum priscorū Gallorum vox 167.
Durum vox Gallorum 168.

E

Eglecopala olim Gallorum vocabulum 174.
Eloquentia veterum Gallorum 197. 198. & pag. sequenti.
Eloquentiam prisci Galli coluerunt 70.82.83.
Elysii campi vbinam sint 229.
Emarcum prisca Gallorū vox 169.
Empedocles Rethorices inuentor creditus 25.

Endymionis fabula 29.
Enochi liber 37
Epicharmus quas inuenerit literas 21.
Epicurus Grammaticen primus docuit 24.
Eporedia Gallica olim vox eadémq; Graeca 118.
Equites Gallorum veterum 108.
Ercíscere quid sit 183.
Esaiæ canticũ versibus constat apud Hebræos 31.
Essedum Gallorum inuentum 164.
Euander literas Italis dedisse creditus 22.225.
Eubages philosophi Gallorum 75.
Eucherius 212.
Exacon Graeca dictio, eadémque Gallica 122.
Exercitus ab Aquilone prouenientes 159.160.

F

Fabri Stapulensis eruditio quãta 213.
Faustus Lugdunensis 211.
Fluentia hodie Florentia, à Carolo magno restaurata 241.
Frãci è Chaucis & Saxonib⁹ in Galliam commigrarunt 160.
Franciscus Gallorum rex quàm admirandus 244.
Fruges pro Phryges dixit Ennius & Frugiam non Phrygiam 183.
Frunifcor & Frunitus, exoleta vocabula 183.

G

Gessa prisca Gallorum dictio 125.
Gæsi viri fortes dicti à Gallis.ibidem
Gessate prisca vox Gallorum 171.
Galatæ diui Hieronymi tempore lingua Treuirorum vtebantur 186.
Galatæ vnde dicti 103.
Galates seu Galateus Herculis filius 103.61.
Galatia à Gallis occupata & denominata 92. 88.
Galaticarum mulierũ fœcunditas 94.
Galba, ad Gallorum sermonem pertinet 170.
Galleris species nauis vnde dicatur 104.
Galli vnde dicti 103.104.
Galli cur populi transrhenani 105.
Galli quantum armis valuerint 91.
Galli Græciam & Asiam occuparũt 91.92.93.94.87.
Galli pacem empturientibus vendebant 91.
Galli colonias in Germania posséderunt. 105.
Galli regnum Bithyniæ partiũtur 96
Galli Mercurium, Mineruã, & deam Pitho coluerunt 198.
Galli suas laudes iacere permiserunt 8.10.
Galli pecunias mutuo dabant restituẽdas in alio seculo 54.
Galli philosophiam & literas primi habuerunt 86.53.55.36. *& Grecum sermonem* 187.112
Galli cur plus nocti tribuebant quàm diei 65.
Galli Cæsaris tempore lingua differebant 115.
Galli veteres cur nihil aut parum scripserint 116.117.
Galli augurandi studio clarent 95.
Galli veteres Græca lingua vtebantur in publicis priuatísque rationib⁹ 113.
Galli multas dictiones Germanicas admiserunt. 162.
Galli veteres summi medici 130.175. 176.
Galli Græcas habuere literas ante aduentum Phocensium 132.133.
Galli optimis moribus præditi 120.

Galli literis & armis plurimum valuerunt 196. & paginis sequent.
Galli Deum Opt. Max. semper agnouerunt 227.
Galli veteres tam armorum quàm literarum peritia claruerunt 108.
Galli ingenti hominum multitudine Asiam implent 96.
Galli non sunt barbari 192. 193. & paginis seq.
Gallorum quanta eruditio 218. 219.
Gallorum populi quidam ex Germanis orti 158
Galli Germaniã poßederunt 156. 157
Galli Italiæ regiones aliquot occuparunt 224. Britãniam, Hispaniam, Lusitaniam, Germaniam, & Beticam poßederunt 228. 229. omnem Vmbriã inuaserunt 223. Romã ceperunt 232. aduersus deos ipsos pugnare ausi 231. Romanos sæpe atque etiam Orientales populos terruerunt 132. 123. 230. quãtum armis semper valuerunt 227. 233
Gallorum superba ad Alexandrum responsio 227.
Galli Ptolemæum vincunt 234. & Sosthenem. ibid. quinquies Alpium iuga penetrarunt, vel ante Hannibalis aduentum. ibidem. eorum fortia facta 235. Italicas vrbes multas ædificarunt 236. 237. 210. Thuscos sedib' pellunt 238. Italiam sæpe à tyrannis liberant 239. & pag seq.
Gallorum equites 108.
Gallorum philosophi 38. 46.
Gallorum facta malè sibi adscribunt quidã Germani 96. 101. et pag. seq.
Gallorũ prisca lingua Germanica nõ fuit 171. 172.
Gallorum vetustißimorum primi reges 196.
Gallorum eloquentia 197. 198. & paginis sequent.
Gallia Boia, quæ & Romandiola dicitur 238.
Gallia iam ipso Cæsaris tẽpore à barbaris corrupta 115.
Gallia Latinam linguam recepit 178.
Gallia exhausta ab Alemanis 159.
Gallia quantum vexata ab externis 161. 159.
Gallia viris eloquentißimis semper abundauit 198. & paginis seq.
Gallia nonnunquam à Germanis poßeßa fuerunt 160.
Gallia Cisalpina 92.
Gallia prouincia Italiæ flos dicitur 43. 208.
Gallicæ academiæ 215.
Gallica lingua in media Germania propagata 185.
Gallica lingua ante Cæsaris in Gallias aduentum corrupta 163.
Gallicæ linguæ mutatio & corruptio vnde profecta sit 161. 156.
Gallica lingua et maximè Treuirorũ vtebantur Galatæ diui Hieronymi tempore 186.
Gallico sermoni multa Romanorum dictiones admixta 176.
Gallicanam regionem quot prouinciis distinxerint veteres 106.
Gallogræcia 92. 96.
Gallogræci 103.
Gelason prisca dictio Gallica 132.
Genua ab Allobrogibus condita 239.
Gennadius Maßiliensis 208.
Geometriæ inuentio 27.
Germani veteres linguam propriam semper non retinuerunt 185.
Germani cur Galli dicti à nonnullis 100
Germani Celtæ dicti 97.
Germani cur ita à Romanis dicti 98.

Germani diu incogniti 97.
Germani linguam non habent Celticam 172.
Germania à Gallis possessa 156.228. 157.
Germanicæ dictiones plurimæ in Gallico sermone receptæ 162.
Germanica non fuit prisca Gallorum lingua 171.172.
Germanica lingua Burgũdiæ fuit aliquãdo cognita & familiaris 171.
Gladiatores varij 5.
Gnipho natione Gallus Romæ docuit 199. et Ciceronis fuit præceptor 200 201.
Godofredus Lotharingiæ dux 242.
Godofredus Dentatus. ibid.
Gordiani imperatoris bibliotheca 218.
Gotthi in Gallia consederunt 160.
Gotthinij Germaniæ populi Gallica lingua vsi sunt aliquando 185.
Græci frequẽter suis sedibus pulsi 107
Græci literas ac philosophiam tardius acceperunt 36.56.57.59.
Græci quantũ literis valuerint 45.
Græci semper pueri 16.
Græci se ipsos mutuò mendacij coarguunt 14. hominum animos errare compellunt 15.
Græcorum laus & fama apud omnes 11.
Græci infimos quosque scriptis celebrarunt 5.6.7.
Græcorũ literæ à Gallis primùm profectæ 112.187
Græcorum antiquitas ferè nulla 87. 16.17.
Græca lingua vtebantur veteres Galli. 113.
Græcæ, Latinæq́; facundiæ certamen Lugduni 177.
Græcus sermo prius in Gallia sub Samothe, q̃ in Græcia 54.59.61.187.
Græcus sermo non vbique in Gallia cognitus Cæsaris tempore, sed ferè tantum in Celtica 114.115.
Græcam proprietatem non exprimit Latinus sermo sicut Gallicus 155.
Græcas dictiones in Gallico sermone quinam obseruarint 137.138.154
Græcæ linguæ vestigia in rusticis perseuerant 137.
Græca lingua mire correspondet Gallica, maximámque cum ea affinitatem hodie habet. 154.138.
Græcam linguam reformauit Homerus Mæon 134.
Græca lingua semper eadem non fuit 133.134.
Græca lingua ambitiosæ meretrici cõparata 156.
Græca tabula in castris Heluetiorum à Cæsare reperta 116.
Græca vocabula ferè innumera, quæ hodie in sermone Gallico obseruantur 138. & pag. seq.
Græca vocabula plurima esse, quæ à grauissimis authoribus tanquam Gallica citantur ac memorãtur 118. 119. & pag. sequent.
Græcia multas dictiones peregrinas recepit 180.
Græcia primùm à barbaris culta 57.
Græcia mẽdax 4.18.112.248.
Græcia ab antiquissimis Gallorum populis illustrata, subiugata & culta 87.88.92.93.94.96.107.
Grammatices authores 24.
Grimoldus Gigas 242.
Guilielmus Budæus quãtum lucis bonis literis attulit 214.
Guilielmus Langeius 215.
Gulfia quas literas dedisse fertur 27.
Gundebaldus Burgundiorum rex ab Arriana factione defecit 212.

Galli literis & armis plurimum valuerunt 196. & paginis sequent.
Galli Deum Opt. Max. semper agnouerunt 227.
Galli veteres tam armorum quàm literarum peritia claruerunt 108.
Galli ingenti hominum multitudine Asiam implent 96.
Galli non sunt barbari 192. 193. & paginis seq.
Gallorum quanta eruditio 218. 219.
Gallorum populi quidam ex Germanis orti 158
Galli Germaniā possederunt 156. 157
Galli Italiæ regiones aliquot occuparunt 224. Britāniam, Hispaniam, Lusitaniam, Germaniam, & Beticam possederunt 228. 229. omnem vmbriā inuaserunt 223. Romā ceperunt 232. aduersus deos ipsos pugnare ausi 231. Romanos sæpe atque etiam Orientales populos terruerunt 132. 123. 230. quātum armis semper valuerint 227. 233
Gallorum superba ad Alexandrum responsio 227.
Galli Ptolemæum vincunt 234. & Sosthenem. ibid. quinquies Alpium iuga penetrarunt, vel ante Hannibalis aduentum. ibidem. eorum fortia facta 235. Italicas vrbes multas ædificarunt 236. 237. 210. Thuscos sedib⁹ pellunt 238. Italiam sæpe à tyrannis liberant 239. & pag. seq.
Gallorum equites 108.
Gallorum philosophi 38. 46.
Gallorum facta malè sibi adscribunt quidā Germani 96. 101. et pag. seq.
Gallorū prisca lingua Germanica nō fuit 171. 172.
Gallorum vetustißimorum primi reges 196.
Gallorum eloquentia 197. 198. & paginis sequent.
Gallia Boia, quæ & Romandiola dicitur 238.
Gallia iam ipso Cæsaris tēpore à barbaris corrupta 115.
Gallia Latinam linguam recepit 178.
Gallia exhausta ab Alemanis 159.
Gallia quantum vexata ab externis 161. 159.
Gallia viris eloquentißimis semper abundauit 198. & paginis seq.
Galliæ nonnunquam à Germanis possessæ fuerunt 160.
Gallia Cisalpina 92.
Galliæ prouincia Italiæ flos dicitur 43. 208.
Gallicæ academiæ 215.
Gallica lingua in media Germania propagata 185.
Gallica lingua ante Cæsaris in Gallias aduentum corrupta 163.
Gallicæ linguæ mutatio & corruptio vnde profecta sit 161. 156.
Gallica lingua et maximè Treuirorū vtebantur Galatæ diui Hieronymi tempore 186.
Gallico sermoni multæ Romanorum dictiones admixtæ 176.
Gallicanam regionem quot prouinciis distinxerint veteres 106.
Gallogræcia 92. 96.
Gallogræci 103.
Gelason prisca dictio Gallica 132.
Genua ab Allobrogibus condita 239.
Gennadius Maßiliensis 208.
Geometriæ inuentio 27.
Germani veteres linguam propriam semper non retinuerunt 185.
Germani cur Galli dicti à nonnullis 100
Germani Celtæ dicti 97.
Germani cur ita à Romanis dicti 98.

Germani diu incogniti 97.
Germani linguam non habent Celticam 172.
Germania à Gallis possessa 156.228. 157.
Germanicæ dictiones plurimæ in Gallico sermone receptæ 162.
Germanica non fuit prisca Gallorum lingua 171.172.
Germanica lingua Burgũdiæ fuit aliquãdo cognita & familiaris 171.
Gladiatores varij 5.
Gnipho natione Gallus Romæ docuit 199. et Ciceronis fuit præceptor 200 201.
Godofredus Lotharingiæ dux 242.
Godofredus Dentatus. ibid.
Gordiani imperatoris bibliotheca 218.
Gotthi in Gallia consederunt 160.
Gotthinij Germaniæ populi Gallica lingua vsi sunt aliquando 185.
Græci frequẽter suis sedibus pulsi 107
Græci literas ac philosophiam tardius acceperunt 36.56.57.59.
Græci quantũ literis valuerint 45.
Græci semper pueri 16.
Græci se ipsos mutuò mendacij coarguunt 14. hominum animos errare compellunt 15.
Græcorum laus & fama apud omnes 11.
Græci infimos quosque scriptis celebrarunt 5.6.7.
Græcorũ literæ à Gallis primùm profectæ 112.187
Græcorum antiquitas ferè nulla 87. 16.17.
Græca lingua vtebantur veteres Galli. 113.
Græcæ, Latinæq́ facundiæ certamen Lugduni 177.
Græcus sermo prius in Gallia sub Samothe, q̃ in Græcia 54.59.61.187.
Græcus sermo non vbique in Gallia cognitus Cæsaris tempore, sed ferè tantum in Celtica 114.115.
Græcam proprietatem non exprimit Latinus sermo sicut Gallicus 155.
Græcas dictiones in Gallico sermone quinam obseruarint 137.138.154
Græcæ linguæ vestigia in rusticis perseuerant 137.
Græca lingua mire correspondet Gallicæ, maximámque cum ea affinitatem hodie habet. 154.138.
Græcam linguam reformauit Homerus Mæon 134.
Græca lingua semper eadem non fuit 133.134.
Græca lingua ambitiosæ meretrici cõparata 156.
Græcæ tabulæ in castris Heluetiorum à Cæsare repertæ 116.
Græca vocabula ferè innumera, quæ hodie in sermone Gallico obseruantur 138. & pag. seq.
Græca vocabula plurima esse, quæ à grauißimis authoribus tanquam Gallica citantur ac memorãtur 118. 119. & pag. sequent.
Græcia multas dictiones peregrinas recepit 180.
Græciã primùm à barbaris culta 57.
Græcia mẽdax 4.18.112.248.
Græcia ab antiquißimis Gallorum populis illustrata, subiugata & culta 87.88.92.93.94.96.107.
Grammatices authores 24.
Grimoldus Gigas 242.
Guilielmus Budæus quãtum lucis bonis literis attulit 214.
Guilielmus Langeius 215.
Gulfia quas literas dedisse fertur 23.
Gundebaldus Burgundiorum rex ab Arriana factione defecit 212.

H

Halus prisca Gallorum dictio 175.
Harudes in Burgũdia consederũt 158
Hebraei literarum authores crediti 22 & arythmetices 27. & geometriae ibid. & astrologiae 30. & poëseos 31. & historiae 33.
Hebraeorum prisci characteres sunt Gallorum antiquißimae literae 118
Hedua 128. ibi philosophati sunt Druides 62.
Hedui Germanorum iugum receperũt 158.
Henricus secundus Gallorũ rex 244.
Hercules Gallicus 70. 72. idem eloquentiae author 83. eiusdem simulacrum. ibidem, & 84. & 85.
Hercules Geryonẽ deuicit 103. Lestrygonas superauit & Alexiã cõdidit 127. cur ἀλεξίκακος dictus ibi.
Herculis Celtici varia cognomina: & quid ea sonent 128.
Herculis Gallici statua 197. 83. 84
Herodotus historiae pater 14.
Heroïci carminis origo 31.
Hetropolis 129.
Hetrusci veteres, mera Gallorum propago 222. 223.
Hierabotanes virtute, mira faciebant Galli 176.
Hilarius Gallus 212.
Hippodamus legislator 35.
Hispania Gallis aliquãdo paruit 228.
Historiam quis primus dederit 33.
Histriones varij 5.
Homeri plures fuere 134.
Homerus Graecam linguam reformauit 134. 135.
Homero tributum fuit ius emendandi characteres & nomina & linguam 135. 134.
Homerus in Aegyptum disciplinae causa profectus 19. author grammatices creditus 24.
Hunni & Gothi in Gallia consederunt 160.
Hyacinthus foeliciter in Gallia nascitur 175.
Hymnos quinam introduxerint 33.
Hyrenaeus, Gallus 212.

I

Iacobus Faber Stapulensis 213.
Iambici carminis origo 33.
Iani varia cognomina 53.
Iapetus astrologiae studio intentus 27.
Iaspar Alphaeus 163.
Imperatores Romani scelesti 9.
Infrunitus quid sonet 183.
Iobi liber versibus hexametris & pẽtametris apud Hebraeos constat 31.
Ionicus astrologiam inuexisse creditus 28.
Isis literas dedisse creditur Aegyptiis 23.
Ißi Boiorũ nomen, & quid sonet 166.
Italia literas habuit ante Romam cõditam 222.
Italiae regiones aliquot Galli occuparunt 224.
Italiam quot Gallorum populi ingreßi sint 239.
Italia Gallorum beneficio saepe à tyrannis liberata 239. 240.
Italorum lingua non eadem semper fuit 180. & pag. sequent.
Italica lingua multas dictiones peregrinas admisit 185.
Italica lingua ex prouinciali idiomate suam habuit originem 185
Italicae vrbes quàm plurimae à Gallis conditae 210. 236 237.
Iudaea quibus nominibus ab antiquis vocata fuerit 23.
Indices in Gallia sententias Graece

olim pronuntiabant 114.
Iupicellus prisca Gallorũ dictio 173.

L

Lactantius Firmianus Latinè docuit in Gallia 179.
Laginum vox prisca Gallorum 174.
Larix antiquum Gallorum vocabulum 167.
Latina lingua 181.
Latinã linguam recepit Gallia 179.
Latina vocabula exoleta 181.182.183
Latinè loqui cogebantur prouinciæ Romanis subditæ 179.
Latinus sermo proprietatem Græcam non exprimit 155.
Latinus sermo à Gallis maximum habuit incrementum 199. & pag. seq.
Latini quantũ doctrina valuerit 45.
Latinus Pacatus Latinè docuit in Gallia 179.
Lauda oppidum à Gallis conditũ 239.
Legislatores varij 35.
Lenones varij 7.
Λήθη prisca fuit Gallorũ dictio 123.
Λήρων Celtica insula, & quid sonet 126.
Libyscam dicere malebant veteres quàm libyssam 225.
Limeum vox prisca Gallorum 174.
Lingones vnde dicti 81.
Linus 55.19. literas inuenisse creditus 21.
Literæ in Gallia prius quàm in Italia 189.
Literis & armis generis claritas conciliatur 196.
Literæ aut æternæ sunt, aut admodum antiquæ 37.
Literarum quanta sit claritas 2. earum inuentores qui primi crediti 18.19. & pag. sequent.
Literæ ex Gallia in Græciam translatæ 37.112.187.
Literæ tẽpore Noachi, atque adeò ante ipsum diluuium fuerunt 37.
Literas tardius habuerunt Græci 39. atque etiam Romani 40.
Literas Galli primi habuerũt 86.53.55
Literas quinam oderunt 109.
Literæ & arma maximã inter se habẽt affinitatẽ et cognationẽ 109.110
Literas Latinas Galli Romanos docuerunt 199.200. & pag. seq.
Longo rex Gallorum Bardi filius 81
Longobardiæ oppida multa à Gallis extructa 236.
Longobardia, Cenomania cur dicatur 238.
Luctatores 6.
Ludouicus vndecimus 247.
Ludouicus duodecimus, Gallorum rex 246.
Lugdunensis aræ certamen 177.
L. Flaccus in academia Massiliana edoctus 209.
L. Florus natione Gallus 208.
L. Plotius Lugdunensis primus ludum Rhetorices Romæ aperuit 199. laudat eum Cicero 201.
Lutetia Parisiorum quantis literis abundet 217.
Lyrici carminis origo 32.
Lysandri in Antilochũ liberalitas 246

M

Macedonia à Gallis occupata. 93.
Magus Gallorum rex 49.
Magus quid sonet 50.
Maison, vnde cadat .50
Marchia Taruisina Carnutũ patria 238.
Marga prisca Gallorum vox 170.
M. Antonius Gnipho Gallus Romæ docuit 199. huic se recoquẽdum dedit Cicero prætor 201.
M. Varro Attacinus Narbonẽsis 204.
Martis et Mineruę epitheta eadẽ 110.

Maßiliam quantum extollat Cicero 208.
Maßiliam disciplinæ causa non secus quàm Athenas mittebantur adolescentes Romani 189.208.
Maßilianum gymnasiū olim celebre 178.179.
Maßilienses mores optimi 221.
Medicina à veteribus Gallis culta 130.175.176.
Medicinæ authores qui 34.
Mediolanum à Gallis extructum, & cur ita vocatum 236.237
Mediolanum in Gallia Lugdunensi 236.
Mediolanum à Gallis conditum 210.
Megarenses tragœdiæ inuentum sibi attribuunt 32.
Melampus in Aegyptū profectus 19.
Mercurius Moses creditus 19.
Mercurius eloquentiæ author non est, sed Hercules Gallicus 83.
Mercurius Rhetorices author existimatus 25. & Musices 26. & astrologiæ 30. & medicinæ 34.
Mercurium Galli veteres colnerunt. 198.
Meretrices variæ 7.
Merismorion ad priscum Gallorū sermonem pertinet 132.
Merouens Gallorum rex oppressam à Gothis Italiam liberat 240.
Metempsichosin admittebant veteres Gallorum philosophi 71.206.
Metenses à Tribocis orti 158.
Minerua à Gallis culta 198.
Mineruæ & Martis eadem epitheta 110.
Mirmillo & Retiarius quomodo in pugna sese gererent 165.
Mirmillonum Gallorum armaturæ genus ibid.
Mithridatis oratio ad milites de Gallorum fortitudine 230.231.
Mixta lingua Italorum 184.
Mœonia à Gallis occupata 93.
Mons Bardorū,qui hodie Mons. Barre 72.
Mons Druidum 62.63.
Moses 23. historiæ scriptor 33. legislator 35.
Moses post maris traiectū gratias Deo egit versibus hexametris 31.
Murgiso quid sonet 183.
Musæ literarum & carminum inuētrices dictæ 31.
Musæus sphæræ author creditus 28.
Musices authores quinam existimati 26.
Mygdonia à Gallis occupata 93.

N

Nemetes in Gallia cōsederunt 158.
Nicæa Maßiliensium colonia 239.
Nicostrata 22.23.225.
Noachi eiúsque coniugis varia cognomina 53.
Nomadum & Scytharum vocabulo Germani intelliguntur 105.
Normanni quantam Galliæ vastitatem olim intulerint 159.
Normānorum pestifera gens. ibid.
Nutrices variæ 6.

O

Obuarare pro deprauare antiquis 183
Obstetrices 7.
Ogmius Hercules à Gallis dictus 83.
Ogyges plures 104.
Olbius Gallorum rex 89.60.
Olbia ciuitas 60. quid sonet 61.120.
Olbiæ multæ 90.
Orationis solutæ author quis 11.
Orcus dictus Samothes 36.
Orcheni 19.
Orontius Finæus 215.

Orpheus & Linus musices authores crediti 26.
Orpheus poësin illustrasse dicitur 31. et literas hominibus dedisse 21.
Ὀθόννα ad priscam Gallorum linguã pertinet 131.
Oua magica druidarum 68.
Οὐίενα. opidum Galliæ 126.

P

Pades vox Gallorum veterum 119.
Palæstrita. 6.
Palamedes quas inuenerit literas 21. Solis eclipsin naturalem esse docuit. ibidem.
Pamphylia à Gallis occupata 93.
Parisiensis academiæ quanta sit excellentia atque celebritas 216.
Patauium à Gallis conditum 238
Patroni Græco sermone causas in Gallia tractabant 113.
Paulinus episcopus Nolanus 212.
Pecunias in alio seculo restituendas mutuò dabant Galli 54.
Pelasgi literas in Italiam attulisse crediti 22.
Pempedula Gallorum priscorum dictio 131.
Ῥέρνα, ad Gallorum sermonem pertinet 125.
Pergamenæ bibliotheca 217.
Petoritum ad priscam Gallorum linguam pertinet 166.
Phaleas nomotheta 35.
Phauorinus, philosophus Gallus 207
Phauorini domus inter philosophorũ familias ennumerata. ibid.
Phemonöe heroicũ carmen inuenisse credita 31.
Pherecydes 11.33. astrologiæ intentus 27.
Phido legislator 35.
Philemon peritus Lyricus 32.
Philolaus Corinthius 35.
Philosophi Gallorum 36.46.47. & pag. sequent.
Philosophorum olim apud Gallos genera quatuor 58.82. quibus disciplinis vacauerint 82.
Philosophia quãtum habuit adiumẽti à Græcis. 45.
Philosophia priscis Gallis cognita priꝰ quàm Græcis 53.55.
Philosophiæ vis & energia 48.49.
Philosophia primùm à Gallis manauit. 86.
Phœnices primas habuisse literas crediti 20. & primi arithmeticen excogitasse 27. & astrologiam 28.
Phœnicum literæ antiquissimæ 37.
Phœnices Gallorum progenitores. ibidem.
Phœniscam dicere maluerunt antiqui quàm Phœnissam 225.
Phoroneus Græcorum rex antiquissimus 19.66. legislator 35.
Phyllira medicinam inuenisse credita 34.
Pictonũ & pictauiorum etymon 160.
Pilentum Hispanorum inuẽtum 166.
Piperapium, olim Gallica vox 174.
Pipini fortitudo quanta 241.
Pitho, persuadendi dea à Gallis culta 198.
Pittacus quomodo Phrynonem superauit 165.
Plato vim grammatices primus speculatus 24.
Plammorate vel plũmarat, vox Gallica 164.
Plotius natione Gallus primus Romanos docuit Rhetoricam 199.
Plautium laudat Cicero 201
Podalyrius & Machaon 34.
Poëtæ qui dicendi 76.78. & pag. seq.

poëma quid. ibid. poësis quid. ibidem.
Poëtæ morum magistri 79. sancti. ibi. viri boni & sapientes ac sapientiæ patres. ibidem. deorũ interpretes 80.
Poëtas suos quanti olim fecerint Galli 80. 81.
Poësin qui primi introduxisse credantur 30. 31.
Polymnest⁹ heroici carminis author 31.
Polyhymnia hymnis præest 26.
Pona priscorum Gallorum dictio 173.
Pontius Paulinus Burdegalensis 211.
Portugallia unde dicatur 229.
Prisca Italorum lingua 181.
Promethei fabula 28.
Prosper Aquitanus 211.
Prouinciales schola 179.
Ptolemæus à Gallis superat⁹ 233. 234.
Ptolemæi Philadelphi bibliotheca 218
Pyrene puella 121. itémque Herculis socius. ibidem.
Pyrenæi montes id nominis acceperũt à Gallis 121.
Pythagoræ doctrina à Gallorum philosophis profecta 206. 71
Pythagoras primus philosophiam è cœlo reuocasse creditus, sicut & Socrates 11. in AEgyptum profectus disciplinæ causa 19. arithmetices author existimatus 27. astrologus ibidem legislator 35.
Pythagorici in Sicilia philosophati 206.
Pytias Cosmographus, Gallus 208.

Q

Quippini pro cur non antiquis 183.

R

Redostire quid sit 183.
Relicinus quid sit. ibidem.
Rhadamantus literas Assyriis dedit 22. & Lyciis leges tradidit 35.
Raphius prisca Gallorum dictio 175.
Rheda, Gallicum vocabulum 166.
Rhemnij Palæmonis arrogantia 24.
Rhetiorum gentis origo atque initium 238.
Rhetoricam Romæ docuerunt Plotius & Gnipho, vterque Gallus 199. & pag. sequent.
Rhetorices initiũ quibus debeatur 25.
Rhodanus cur ita dicatur 128.
Rhodora, priscorum Gallorũ vox 174.
Rhythmorũ vulgarium scriptores 75.
Rhythmus 78.
Roma à Senonibus capta 94.
Romani imperatores multis vitiis inquinati 9.
Romani mira de lente 45.
Romani ad se venientes legatos Latinè loqui cogebant 180.
Romana lingua quæ propriè dicta 181.
Romanam linguam recipere cogebantur externi 177.
Romani infimos quosque viros Græcorum imitatione scriptis celebrarunt 5. 6. 7.
Romanorum dictiones plurimæ Gallico sermoni admixtæ 176.
Romandiola quibus vocetur nominibus 238.
Romanorũ idioma sæpe mutatũ 180. eorundem linguæ varia. ibidem. & pag. sequent.

S

Sacerdotes Aegyptij peritißimi 16.
Saro Gallorum rex 46. 48. publica literarum gymnasia primus instituit 48. 188.
Saronidæ Celtarũ philosophi 46. 38.
Saliuncula, prisca Gallorũ dictio 167.
Samothis varia cognomina à Græcis inuenta 36.
Samothes vel Semnothes Galliæ rex

51.37.52.57.16.literarum propagator 36.188. quandiu vixerit 58
Samothei primi Gallorum philosophi 35.38.49.51. unde dicti sint 52.
Samothea, opidum 129.
Samothracum filij medicinam exercuerunt 34.
Sapana, prisca Gallorum dictio 173.
Sarmatia Gallorum imperio annexa sub Olbio rege 89.
Scobies, Gallorum priscorum vocabulum 174.
Scobilus antiquum Gallorum vocabulum 174.
Scholæ prouinciales 179.
Scordisci dicuntur Galatæ 134.
Scribæ olim Græco sermone sententias excipiebant in Gallia 114.
Semnothei cur dicti 51.52.
Sena Gallica quæ & Ciuitas vetus dicitur 238.
Senæ à Gallis condita 210. 236.
Senonum etymologia 128.
Senones 103. in Italiam penetrarunt & Pannoniam 94. Romam capiunt ibidem.
Septem sapientes in Ægyptum profecti 20.
Sequani Germanorum iugum receperunt 158.
Sethi filiorum columnæ duæ 37
Seuerus natione Gallus 211.
Sicambri in Galliam commigrarunt 158.
Sicilia olim magna Græcia dicebatur 206
Sidonius Apollinaris Aruernus 211.
Sigouesus cum exercitu Gallorum in Græciam atque Asiam penetrauit 92.
Sil, prisca Gallorum dictio 174.
Simonides Melicus quas inuenerit literas 21.
Sistrameor, prisca Gallorum dictio 173.
Socrates philosophiam è cælo reuocasse creditus 11.26.
Sosthenes à Gallis deuictus 234.
Sodart unde 164.
Soldurij, Gallorum vox 164.
Solomonis liber apud Hebreos versibus hexametris & pentametris constat 31.
Solon legislator 35. in Ægyptum profectus vt de Græciæ antiquitate dissereret 16.
Spagnos fœliciter in Gallia nascitur 171
Sphæra authores 28.
Statius Cæcilius natione Gallus comœdiam nouam primus dedit 203. principem locum inter Comicos obtinere censetur ab
Statius cognomento Papinius insignis poeta Gallus 205.
Stœchades insulæ Gallicæ 128.
Strebæus 215.
Suada vel Suadela dea à Gallis culta 198.
Suibites, prisca Gallorum dictio 173.
Summanus siue Dis 36.
Syagrius, nouus Amphion 172.
Syri primas habuisse literas crediti 20

T

Tabulæ Græcæ in castris Heluetiorum repertæ 116.
Tabulæ priuatæ Græcis literis confici solitæ in Gallia 114.
Taxim quid sit 187.
Taranis Gallorum vocabulum quo Iouem significabant 169.
Tectosages vnde dicantur 126.
Tectosages Cappadociam occuparunt 107
Tectosages in Orientem penetrant 93.
Tertius pro deterso antiquis 183.
Telistobogij in Orientem penetrarunt 93. in Gallia consederunt 107.
Tempus omnia mutat et corrigit 136.
Terentius Statij Cæcilij Galli consue-

tudine delectatus 203.
Terpsichore psalterij inuentrix 32.
Terpander Lyrici carminis leges primo dedisse putatur 32.
Teutobodiaci Cappadociam tenuerũt 107.
Thales astrologia scientia clarus 27.
Thespis 32.33.
Theuth quas artes inuexerit 27.
Theutones Galliam occuparunt 155.
Thex-mon prisca Gallorum vox 173.
θόνια, Gallica olim dictio 131.
Thuscia vnde dicta sit 225.
Thuscia cur interposito, c, dicatur 225.
Thuscos Galli sedibus pellunt 238.
Τιμοῦχος prisca Gallorũ vox 123.
Titiuilitium 182.
Trama & trulla 183.
Tragœdiæ inuentor quis 32.
Treuirorum lingua vtebantur Galatæ diui Hieronymi tempore 186.
Triboci in Gallia consederunt 158.
Tridentum à Gallis conditum 238.
Trocini in Orientem penetrarunt 93. in Mæonia & Paphlagonia consederunt 107.
Tryphon celebris bibliopola 218.
Tubal musices author 26.
Tubicines varij 7.
Tuyscon Germanorum progenitor 99.
Tyrannion Grammaticus locupletissimam habuit bibliothecam 217.
Tyrrhenũ mare vnde dicatur 225.
Tyrrheni sunt Hetrusci 22.
Tyrrheni literis claruerunt sub Tirrheno suo rege, eóque Lydio 225.

V

Valerius Cato natione Gallus nobiliores Romanorum adolescentes poëticã docuit. 202.
Valerij Catonis poëmata. ibidem
Vangiones in Gallia consederunt 158.
Varro Attacinus Narbonensis 204.
Vatablus 215.
Vbij in Galliam commigrarunt 158.
Vergobretus, Gallica vox 163.
Vehia pro via antiquis 283.
Veneti ex Gallis oriundi 238.
Venetorũ vrbes à Gallis extructæ 237.
Verona à Gallis condita 210.236.
Verpa quid sit 183.
Versus significatio apud Ciceronẽ 74.
Vibrissare quid sit 182.
Victi ad aram Lugdunensem quo supplicio plectebantur 178.
Vincentia à Gallis condita 238.
Viscus Druidarum 64.66
Voturij in Galatia consederunt 107.
Vmbri Gallorum soboles 222.223.
Vmbri agro pulsi à Gallis 101.
Vmbrorum oppida multa à Gallis extructa 236.
Vrsibus vetus Gallorum nomen 174.

X

Xenophontis de Gallorum literis testimonium 112.
Xerxes quantus à Græcis fingatur 248.

Z

Zaleucus nomotheta 35.
Zamolsis leges dedit Zetis 35.
Zeno Eleates dialectices author existimatus 26. & dialogorum 33.
Zethus Amphionis frater à nonnullis Musices author creditus 26.
Ζιθός, vel potius ζυθὸς prisca vox Gallorum 120.

FINIS.